IOANNIS STVRMII AD VVERTEROS FRA=tres, Nobilitas li=terata.

LIBER VNVS.



ARGENTORATI PER VVEN=
delinum Rihelium, ANNO
M. D. XLIX.


VV.P.A. DE VV.

IOANNIS STVRMII AD VVERTEROS FRATRES,

Nobilitas literata.



Amdiu petis à me Philippe: iam nunc etiam Antonius tecum frater tuus postulat: ut uiam uobis aliquã, rationemq́ studiorum demonſtrem: quam ego uſitatam hominibus literatis eſſe exiſtimem: & quæ ueſtrę ætati, ueſtręq́ familiæ & nobilitatis ordini ſit accommodata. Qua in re libenter ueſtræ morem uoluntati gererem: ſi utrumq́ exiguo libello complecti poſſem. Altera enim pars longam & uariam explicationem requirit: oſtendere quam ego credam doctorum hominum, præſertim Græcorum & Latinorum conſuetudinem fuiſſe: ſed in altera conabor uobis, in hoc laudabili ueſtro & incitato ſtudio-

rum cursu adesse: et ex altera tantum ad hanc seuocabo: quantum res ipsa ratioq; uidebitur desiderare: de altera, cum uacabit, & uestra studia postulabunt: plenius à me aliàs dissere tur. In hoc uerò tempore de te fratreq; tuo est statuendum: in quibus & ætatis minimum est interuallum: et magna ingenij similitudo. Eadem enim uoluntas in utroq; est: æqualis cognitio: gemina cōtentio: ad quam cum uestra sponte et literarum amore: tum Georgij Fabricij doctoris uestri industria, & exemplo olim excitati estis: cui Vuolfgangus frater successit: qui ita uobiscum duos annos uixit: ut triplicē fructum, eumq; honestissimum inde perceperit. nam & fraterna se consuetudine suauissimè oblectauit: & uobis exemplo præfuit: & literarum suarum studia recoluit, & hæc tria ita consequutus est, quemadmodū ipsi uidetis: ut nō tam sua, quàm uestra causa à Beichlingo

go, & à suis abfuisse appareat: eademq́ de causa iam Luteciæ uersari non solum ut exemplo uobis sit: sed etiam uestra causa eò præiuisse uideatur. Sed ut reuertar unde nonnihil digressus sum: certum uobis temporis spacium circumscribam: certamq́ doctrinam et exercitationem: in quibus mea se continebit consultatio: in eaq́ ætatem uestram, & ingenij uestri uires, & facultatem considerabo. Præmonstrabo enim quem cursum per hoc proximum triennium tenere debeatis: & quæ suscipere: ut, posteaquam ter Calendæ Ianuariæ reuersæ erunt: ubicunq́ futuri sitis: oratio uestra & prudens futura sit, & latina, & elegans, & copiosa, quem ego alterum finem uestrarum cogitationum esse puto: uitam literatam: de quo fine meum consilium expetitis, alter uirtutis est: qui aliud tempus ad tractandum flagitat. Et certè si ad familiæ uestræ no-

bilitatem, & ad opes facultatesq́ue ue-
stras uirtutem & doctrinam litera-
rum adijcietis: id quod facere iam-
dudum instituistis, & omnem nobi-
litatē facere decet: quid est, quod ad
felicitatem, & ad uitam beatam in
his, quę in uestra potestate sunt, uo-
bis est defuturum: quamdiu ea, quæ
habetis data uobis diuinitus: fato a-
liquo, & ui, atque fraude non auferan-
tur. Sed tamen in his ipsis cōseruan
dis, et in amissione, ad consolandum
plurimum & uirtus religioq́ue, & ma-
gnarum rerum cognitio atque doctri-
na confert; ut de felicitatis præci-
puo gradu nō ita depellamini: quin
semper habeatis, ubi possitis consi-
Virtus. stere. Ac uirtutem quidem, in qua
religioni primæ partes deferendæ
sunt, tametsi propositum non est ex-
plicare: neque morum disciplinam
tradere: tamen ut ne eam necessari-
am non esse homini literato, uel alij
homines existiment: uel me id exi-
stimare

ſtimare alij cogitent: idcirco eius in hoc principio meminimus: præſertim cum etiam in hac parte, & in hoc inſtituto, tribus nobis potiſſimum uirtutibus ſit opus: ſine quibus neque noſtrum conſilium, neq; ueſtra uoluntas, multum opis inueniet. Primum enim diligentia eſt ne- 1. Diligentia. ceſſaria: ſine qua etiam magna ingenia non longe progrediuntur. deinde temperantia in uoluptati- 2. Temperantia. bus: quæ cuſtos eſt diligentiæ, & ingenij ac naturæ conſeruatrix. tum conſtantia in utraq;: ut ea perfician- 3. Constantia. tur, quæcunq; erunt inchoata. Quæ uirtutes tum demum iudicabuntur ueræ eſſe: cum neque diligentia uirium defatigationem: neque temperantia ualetudinem: neque conſtantia obſtinationem nimiam pariat. Non quod uirtutes uitia ſint: ſed quod uitia ſæpenumero uirtutũ ſimulatione fallant. Lætam, & ſanam, & ſequentem uirtutem eſſe

uolumus: & hominis studiosi uolumus mores esse suaues: ualetudinē prosperam: & animum flexibilem. ita tamen ut libido absit: mollities uitetur: locum non habeat pertinacia. Primæ ergo duæ uirtutes, quarum memini: & quæ ab hac præceptione abesse non possunt: ad corporis uires debent esse accommodatæ. constantia uerò nō solum finem studiorum uitæq; respicit: sed etiam in singulis actionibus, quæ prudenter institutæ erunt, adhibenda est. Iam uerò, quoniam harum uirtutum in uobis signa egregia apparent: quæ his annis sæpe intellexi: admittam uos, & adero quoad potero, in hoc perspecto mihi uestro conatu, & egregio studio. Ac principio quidem considerandum mihi est: quantum iam in hac literarum doctrina consecuti sitis: non solum ut ne omittam aut prætercam aliquid: sed etiam ut ne post rem comparatam & confe-

ctam

ctam in aliquibus adferam consilium. Tenetis igitur, ut ex fratre uestro Vuolfgango intellexi; & ut ego ex scriptis uestris cognoui: latinę linguæ præceptionem omnem; quæ quidem ad scriptores intelligendos est necessaria. in eaq; lingua uerborum & formularum (quæ rerum & sententiarũ simulacra sunt) tantam copiam, & delectum eiusmodi estis consecuti: ut ab his instructi sitis ad scriptiones & ad styli exercitationẽ: modò differendi & dicendi ratio omnino non desit: quarum rationum utraq; ars styli semper fuit moderatrix. Et sanè si ea adhuc tenetis, ut cõfido: quæ à me primo in Rhetoricis & Dialecticis audiuistis: quæq; à Seueno pòst recognouistis: nihil est quod præterea requiram, prçter annotationẽ in legendo: & in scribendo industriam. Iam in Grçcis eò progressi estis: ut in linguę prçceptis nullus labor restet; in uerbis & singulis

& col=

& collocatis. In eo ſtudio perficiēdo non tam moleſtus ad intelligendum eſt labor: quàm iucunda & ſuauis futura eſt ad comparãdum obſeruatio. Quanquam non ignoro, non in his nihil deeſſe uobis, quod ignoretis: tamen quod ſcitis, id mihi ſatis eſt ad id, quod inſtituo: & quod à me poſtulatis. Etenim Homericus ille Vlyſſes, quanquam πολύτροπος fuit: & multorum hominum ἄστεα καὶ νόον ἔγνω, ut ſcribit Homerus: tamen in ſingulis ipſum gentibus & ciuitatibus credibile eſt non omnes uoluiſſe ciues cognoſcere: nec in ſingulis familijs quid ageretur intelligere: uerum ea ſolum diſcere, quæ ad id ſibi conducerent, quod animo cogitatum & propoſitum habuit. Imò uerò etiam nuſquam magis neque errauit neque peccauit: quàm cum Calypſus amore nimis diu detineretur: & ſuam in-

induſtriam

duſtriam & laudes ſuas abſcondi in obſcuritate antri pateretur. Vt igitur hunc uirum, quem Homerus ſapientiſsimum facit, ueriſimile eſt per uarias regiones profectum eſſe: ita etiam in his, de quibus dictum eſt artibus uerſandum eſt: & diu-tius non eſt in ſingulis præceptio-nibus immorandum: quam uerbo-rum & orationis cognitio deſide-rat. Et ut ille aſperam ſuam Ithacam in omnibus & laboribus & æru-mnis cogitabat: ad eamq; quoties potuit properabat: ita nobis quoq; ad ſtudiorum noſtrorum, uitæq; fi-nem pergendum eſt: qui in arduo loco plærunq; eſt à natura colloca-tus: de quo deinceps dicendum eſt: & prouidendum, qua uia eò perue-niamus. Nec mihi dubium eſt: quin in hac bonorum facul-tate & copia, propoſita uobis uita honeſta ſit, & literata: quarum

altera

altera ad diſciplinam morum pertinet: altera huius eſt inſtituti: & magna ad alteram adiumenta adfert. & profectò in hac uita, ea mihi uita beata uidetur: quæ ad generis antiquitatem morum ſanctitatem adiungit: & honorum amplitudinem literarum ornat elegantia. Itaq; præceptionem meam duas in partes diuidam. in cognitionem rerum: quæ animi eſt excultrix. & in linguæ exercitationem, & ſermonis prudentiam & concinnitatem: quæ cum auribus audientium repræſentatur: mentis ſuauiſſimum cōcentum indicat: qui magis intelligi à nobis poteſt: quàm cœleſtis machinæ, nunquam audita, tamen tradita olim à Pythagoricis ἀρμονία. Vt autem à rerum doctrina exordiamur: non uideo quid magis uos deceat, & nobilitatem exornet: quàm ciuilis ſcientia: quam Græci politicen nominant. quam ſi conſequamini, ut oportet: magna allaturi eſtis

ri estis & patriæ, & genti, familiæq́ue uestræ ornamenta. Quid enim maius est? quid præclarius? quàm nobilem hominem literatum esse, & politicum? quæ duo & doctrinam, & uirtutem, religionemq́ue omnem complectũtur. Itaque exponemus qua uia huius, siue scientiæ & doctrinæ, siue uirtutis & facultatis cognitionem, usumq́ue talem comparetis: ut non solum alijs utiliter, uerum etiam uobis iucundè uiuere possitis: ut apud amicos grati, domi suaues, & publice honorati uideamini fuisse. Ciuilis uerò scientiæ cognitio: rectè ab ijs libris instituitur: quos Aristoteles de repub. scripsit. sed quia in moribus ciuium probatis fundamenta sunt posita magnarum ciuitatum: rectè doctrinæ ciuili scientia de moribus adiungetur: quam etiam Aristoteles multis libris tradidit. Omnium autẽ maximè historia adiuuat: in quibus & ortus rerumpub. uarij uidentur: & con-

Aristotelis libri de rep:

Ethica.

Historia.

& conseruationes earum: et conuer siones atque interitus: & hominibus in uita dubitantibus consilia multa, & exempla uaria suppeditat. Vos quidem quid deinceps poteritis rectius suscipere: quàm hoc studium: post ista uestra & loquendi, & disserendi, & dicendi præcepta: Verum in his ipsis consequendis habenda latinæ linguæ ratio est: ne contaminetur uarietate linguarum, & diuersitate uerborum: quæ singulæ artes, & linguæ, & in unoquoque genere singuli scriptores propria habent: qui etiam uerborum eorundem collocatione, & toto compositionis genere, in consimili argumento, plurimum sæpenumero inter se differunt. Historicus enim Herodotus est: & in eadem gente eodem sermone, nimirum græco: etiam Historicus est Thucydides: & utriusque pulchra est & ornata oratio. At quantum discrimen est suauitate,

Herodotus.

Thucydides.

te, grauitate, uerborum collocatione, figuris sententiarũ, & quasi transformatione quadam incisorum, membrorum, circumductionum, tota denique compositione? Eiusdem populi res gestas scripserunt, Cæsar, Liuius, Tacitus. Sed quantum in his interest, omnibus ĳs ornamentis, quæ iam commemoraui? Plus uero in his omnibus, & in Ciceronis scriptis. Et hi ipsi Ciceronis libri, magnam in se uarietatem continent. Scribe epistolam eo genere orationis, quo principium Milonianæ causæ est concinnatum; tametsi apud imperitos aliquot laudatores inuenies: quibus tamen uerum iudicium est, improbabunt: & statuent, decori te præcepta transilisse. Quocirca uidendum est, ut rerum cognitione, cum materiam suppeditat ad res tractandas alienas, noceat uerborum & orationis peregrinitate. Non

quòd

quod hi latini non ſint : aut illi non ſint Græci: ſed quia ut equites & pedites, & ut in ſenatu, & in foro, & domi, Romani & Græci non ijſdem utebantur ueſtibus: ita in diuerſis rebus, quę oratione tractandę erant: non idem dicendi genus, neq; eandem adhibebant ſermonis formam. Laudo quòd Romam uiderit aliquis: quòd Athenis Cratippum audieris comprobo: patior etiam et laudo cum cęteris quòd Atticus cognominaris : at ut pallio utaris Romę Gręculo non laudo. nam leuitatis indicium, & ſtultitię teſtimonium eſſe iudico. Sic omnes hi, cum alijs omnibus, ad diſcendum boni: ſed in ſuo quiſq; genere : & propriũ quiſq; aliquid habuit quod ſibi placuit: & potuit quiſq; id decenter & ſuo iure. Iam uerò ad cognitionem rerum maximarum, Dei, religionis, pietatis, charitatis, & cęterarum uirtutum & pręclarorum morum, & humanæ ſalutis:

Similitudo.

Accomodatio.

Theologia vide l. 14. a. 12.

ſalutis: quid illuſtrius, quid magis neceſſarium, quàm ea quæ Moyſes ſcripſit, quæ prophetæ, quæ apoſtoli: attamen hæc ipſa exornari magis poſſunt: ſi debitus cultus, & puritas ſermonis linguæq; latinæ adhibeatur: & hic ipſe ſermo Romanus, & latina eloquentia, nõ uitietur Hebraiſmis; qui in ſua lingua ſuauis eſt: in aliena aures offendit: & luci rerum ſæpè tenebras offundit. Cogno Qui in historia legendi. ſcendus igitur Thucidides, & Herodotus, & Xenophon, & Polybius, & Halicarnaſſæus, & Herodianus apud Græcos: & legendus apud Latinos Cæſar, & Liuius, & Tacitus: et omnes hi diligenter intelligendi: ut iudicium confirmetur, memoria augeatur, amplificetur rerum doctrina. In primis uero quæ Iudæis primum diuinitus tradita ſunt: deinde eadem illuſtrius explicata poſt Chriſti mortem: ſed ità, ut quemadmodũ mens ipſa pura et incorrupta horum

lectione & meditatione euadere & permanere debet: ità etiam linguam ab his non impediri, ſed adiuuari uelim. Nec enim impium eſt: noſtro præſertim ſeculo: mentis & uocis eandem eſſe puritatẽ, concinnitatẽ, elegantiam: & neſcio quanto magis Chriſti doctrinã orationis amplitudo deceat: quàm templorũ immanes conſtructiones: nõ quod in his non delecter: ſed quòd hoc ornatu delecter magis: et magis decere exiſtimẽ. Vt enim imago Dei, quę ab optimo pictore picta eſt, magis oblectat, quàm quę ab imperito: et ſtatua Iouis à Polycleto dedolata magis afficiebat: q̃ quæ à cęteris opificibus: ita etiã religiones & cerimoniæ, cũ diſertum explicatorem nanciſcuntur: docentur intelligentius: explicantur illuſtrius: & amorem metumq; Dei, diuinitus excitatum: neq; remitti ſinũt: neq; elangueſcere patiũtur. Ad ciuilem igitur ſcientiam: quæ maxime

Comparatio ornatus orationis cum ornatu templorum.

Expolitio per similitudines.

mènobilitatem decet: hi ſcriptores magna adferent adiumenta: quorũ libri de Republica & moribus extant: & hiſtorici, tum Græci, tum Latini: imò etiam cæterarum linguarum expoſitores: cum quid ſupereſt temporis: aut cum tempora id flagitant, ante omnes uero noſtræ religionis autores, et doctores, et hiſtorici. Et quoniam eam uocamus ciuilẽ doctrinam: quæ à Græcis πολιτικὴ eſt appellata: & partẽ ſui habet nõ paruam τὴν νομικὴν: etiam atq; etiam cognoſcere oportet Platonis illa pręclara monumenta de legibus: & de ijſdẽ Ciceronis libros duos: qui, cũ rectè intellecti erunt: facilè demonſtrabunt quid ſtatuendum ſit: & quomodo reſpondendũ, quoties de cæteris quęſtio oritur: quę à Iureconſultis concinnatæ ſunt, atque digeſtæ. Sed ut ne multitudine perturbemini: neque impediamini linguarum uarietate, & multiplici tracta-

Plato. Cicero.

tione: priusquam ad orationis exercitationem ueniam: uiam uobis indicabo: quã ego puto ingrediendam esse: ut eò, quò propositum est, perueniatis. Omnem igitur hanc rationem in tria diuidam tempora: unum audiendi: alterum legendi: tertium commentandi. Quibus tribus si modus adhibeatur, ratioq; teneatur quã praescribam: & euadetis eò quò contenditis: & temporis satis quotidie supererit post singulas actiones ad animi relaxionẽ, & uirium refectionem, & confirmationem ualetudinis, cuius magnam curam geri uolo: propterea quod animus in bona corporis habitudine uiget magis, & acutius intelligit, & longius prospicit: & diligentius conseruat ea, quae discẽdo, & intelligendo, & commentando peragrauit. Reuertar ergo ad id quod primo loco propositum est, ad auscultandi tempus: in quo duo sunt personarum genera. nam & do-

Tempus audiendi.

ctoribus utimur: ut M. Cicero filius Cratippum Athenis audiuit: & utimur recitatoribus: & Cicero in epistola ad Atticum missa dolet de Sosithei anagnostæ festiui, ut uocat, pueri morte. Scriptores ad intelligendum difficiles, & arduarum rerum autores, ab alijs cognoscendi sunt: quos hodie & lectores, & professores linguarum, & scholarum magistros nominant. Vt in Philosophis sunt Platonis Gorgias: & Protagoras: & sermones apud hunc alij multi. Aristotelis primi libri de repub. et de moribus. in historicis Thucydides: in poëtis Lucanus: nam hic etiã intelligentem ciuem et togatum prudentem facit. in oratoribus Demosthenes et Cicero: non quòd obscuræ sententiæ sint: sed quòd ars abscondita latet: et lumen sentẽtiarum, compositionis amplitudine, sæpe, ut sol oculorum, ità ista aciem mentis perstringat. Legere ipsi uobis potestis.

Cęſaris cõmentarios:& Xenophontis Cyrum:& Herodiani Cæſares:& Polybiũ. Recitatoris uſus eſt in ijs et quę ab alijs audiuimus recognoſcendis:& quæ ipſi priuatim legimus. & ſæpe antequam legamus prodeſt recitari aliquid ab anagnoſte:et ſi quid obſcurum eſt,id paucis ab eodem explanari: & poſt à nobis & lectione & commentatione repeti. Hactenus quæ exponi à magiſtris,& quæ recitari à domeſticis,et à nobis legi oporteat: nunc quæ ratio adhibenda ſit, & quo utendum delectu, & quis ſit ſeruandus ubiq; modus diſſeramus. Deligẽdus igitur is eſt potiſſimum: qui eandem quam docet artem profitetur:eamq; diu exercuit. Pernitioſa res in literarum gymnaſijs eſt: doctrinam ſimul cum diſciplina inſtitui: & eſſe qui docere prius incipiant,quàm diſcere : id quod meis temporibus nimis fuit uſitatũ. Quanquam non nego multos eſſe præclaro in-

Recitatores.

Transitio.

Qui lectores deligendi

Digressio.

Oratio.

ro in.

ro ingenio: qui melius discendo expediant aliquid : quàm alij aliqui, qui idem longè antea & didicerunt & docuerunt. sed nos de eo tempore loquimur, cum duorum data nobis facultas est: ut eruditiorem magisq́; experientē semper p̃feramus. quod si contrà eueniat: sequemur magnorum ducum & clarorum imperatorum exēpla: qui fortē tyronem ignauo ueterano solent anteponere. Sed in facultate duorum aut plurium: iudicium non solū de doctrina faciendum est: uerum etiam de docendi ratione & expediendi dexteritate. in quo tamē uidendū quæ uires sint discentiū: quæ facultas: quæ doctrina. Luteciæ cū essem, idē consequebant̃ Petrus Danesius et Iacob9 Tusanus, diuersa tamen ratione, ut à multis audirent̃. Expediebat uterq; plurimos una hora uersus: Tusanus appositè ad Grammaticorū normas: Danesi9 ita Demosthenē interpretabat̃: quā

tum in ipſo fuit, & quoad ſermo ille patitur: ut Romanus uideretur, et Ciceronis uerbis & ſententiarum formis figuratus. Itaq; alter à doctioribus libenter audiebatur; alterum audiebant qui ab erudito magiſtro inde à fundamentis proxime eam linguam uolebant comparare. Magni iudicij documentum eſt, magnæq; doctrinę nota: et ſignificatio diligentis & candidę induſtrię: non diutius hęrere in docendo quàm neceſſariũ ſit: nihilq; eorum quæ ſunt exponenda prętermittere: idq; in rebus & uerbis, & arte, et comparatione aliorum ſcriptorum. Atq; hęc de doctore: nunc de ordine & delectu qui uobis habendus eſt: et ratione et uia, quam in legendo et auſcultando ſequi uos oportet: in quo mihi finis ueſtrorum eſt ſtudiorum repetendus: qui eſt uita honeſta adiuncta doctrinæ magnæ ſcientia: & ſtylus elimatus: & ſermo purus, ornataq; cum uerbo

rum

rum tum rerum luminibus oratio. Ac quia & uos primas artes sermonis, & duarum linguarum præceptiones & uarietatem non parua ex parte tenetis cui rerum uerborumq; connexa est cognitio: propterea quod uerba rerum sunt simulachra: utrumq; studium simul ex hoc tempore uobis suscipiẽdum est; eodẽq; mea est referenda oratio. Quamobrem diem partiemur totum in duo tempora: quorum alterum antemeridianum est: alterũ post meridianas horas complectitur. & quod ante meridiem temporis est: id Ciceroni & stylo tribuimus: quod uero insequitur: id cęteris scriptoribus, ex quibus artium & literarum doctrina est comparanda. non quòd hi non pręclarã & egregiam orationis laudem apud eruditos & doctos homines adepti sint: aut quod Cicero non plurimas res et maximas tradat, ex sapiẽtię studio repetitas; sed tametsi utriq;

ab al=

Cicero. ab alteris adiuuantur: tamen quia Ciceronē inprimis, & semper ubi exemplo locus est imitandū censeo: faciendum mihi hoc discrimen est: ut intelligāt ad quos digredi aliquādo licitū sit: & à quo non sit licitum discedere. Nā quoniā me uultis in hac ratione quasi præceptore uti: statuere debeatis quędā esse quę liceant: ad quę permitto declinationē à uobis fieri: quędā uero quę nō liceāt: à qbus si deflectetis: immemores uos esse putabo accepti huius à me beneficij: quod uitiū in moribus nefariū est. nam tametsi temperantiā principio, ėt diligentiam, atq; constantiā à uobis tantummodo postularim: tamen cęteras uirtutes nō à uobis negligi uolo: et quātum ad me attinet, & fidē à uobis flagito, & memoriā meorū consiliorū: quam ego gratitudinis certā notam esse existimo. & nisi credetis me uera consulere: parū habitura est apud uos mea oratio autoritatis. Cum

igitur

igitur ciuitas hominum sit inter se so cietas atq; communicatio: neq; ulla latius pateat: nec per tot gentes atq; nationes latenter cum incredibili ui atq; potestate sit sparsa: quàm Christiana societas, quę ecclesia est appel lata: ad quam Iesus sempiternus ueri Dei filius, cui regię maiestatis cogno mentũ datũ est, & Christus appellat̃, omne genus humanũ ex oibus parti bus euocauit orbis. cũ hæc igit̃ uera sit societas; necesse est etiã ciuilẽ sciẽ tiã Christi potissimũ Deiq; doctrina niti: et hac maximè Christiani nominis hominẽ cõfidere. qppe quę cœle sti societati pręparet: et cœlestibus le gibus, Deiq; curationi sit cõsentiẽs. Hanc philosophi inuestigarũt: nec potuerũt inuenire. hãc si Minos Cre tẽsis, aut Lacedemonius Lycurgus, aut Atheniẽsis Solon tenuissent: bea tiores suos reliqssent ciues, q̃ reliquis se uidemus. hæc Platonico Socrati, hęc Platoni, hęc Aristoteli defuit ad

huius

huius scientiæ perfectionem. Quanquam non eò hęc dico, quòd non bene & præclarè isti scripserint: idq́ue in pluribus, imò in multo maxima parte: sed quia diuinitatem ignorarunt: qua potuerũt homines ad cœlestem concordiam conuocare: & ad eum finem suos ciues perducere, quem in suis libris proposuerunt: felicitatem, & uitam se ipsa contentã. Et sanè si hæc uera sunt: ut omnino sunt: ponendum est esse quędam quæ per omnem uitam sunt legenda: quędam uero quæ semel legisse sat est: modò memoria non deficiat: quædam quę certis temporibus sunt recognoscenda, qui ordo uobis perpetuò est retinendus: & ab eo uos deduci, aut depelli neque sinetis, neque patiemini: si constantiam, quam promittitis, uelitis præstare. Religio igitur eiusq́ue cogitatio perpetua retinenda est. Nam clarissimi sæpè homines, & prudentissimi optimiq́ue uiri, post res magna

cum

cũ gloria geſtas, & ſummos aliquan do honores adminiſtratæ reip, ab ea quidem curatione uel morbis, uel æ- tate coacti diſceſſerunt: à uirtute ta- men, & à religione, cæremonĳsq; pa trĳs non depellebantur. Et Cicero- nem credo, et alios oratores uiros bo nos, non ſemper in foro conſtituiſſe propter ætatem cauſas agere: tamen propoſitum habuiſſe, uitam hone- ſtam non deſerere; uerum ſemper meditari aliquid, & quoad liceret, ſcribere, quod ciuibus prodeſſet, & ad religionis, & ſapientiæ ſtudium latinis literis totum explicandũ perti neret. Quocirca ſi religio per omnẽ ætatẽ colenda eſt, & in extrema præ- cipue; & ſi ſtylus de ſapientis manu non eſt deponendus: debent ĳ ſcri- ptores perpetuò cognoſci, quorum orationem imitari, & à quibus ad uir tutem, & ad religionem, & ad ſapien tiam uolumus erudiri. Quod ſi iſta negari non poſſunt; in ſacris ſcripto- ribus

ribus

ribus sapientem, & in Ciceronis monumentis eloquentem habitare, et uitam ponere decet. Religio enim san=ctam, & eloquẽtia iucundã, & ambę cõiunctæ salutarẽ efficiunt hominũ inter se societatẽ. Religionis studio etiã morũ disciplinam, & ciuilem o/mnem doctrinã, & historias adiun=go: in eoq́ꝫ sapiẽtis uitã finiendã esse existimo. Atqꝫ huiusmodi quidem sunt, quę perpetuo legẽda et cõmentanda censeo: iã quæ semel cognouisse satis sit, ea sunt hac ratione dijudicãda. Quicquid enim tale est, id eiusmodi est, ut uel dignũ nõ sit, quod legatur, propter ineptias; uel ꝑpter breuitatẽ, aut etiã facilitatem nõ opus sit repetere. ex his duobus, quod ineptũ est, uitare oportet: & breue illud genus, et ad intelligendũ atqꝫ memoriã facile, ad utilitates propositi in studiorũ uarietate finis est adaptandũ: & tũ demũ faciendũ est, cũ à grauioribus laboribus fatigata mens ad se relaxandum secedit. in eaq́ꝫ refectione

tempestiuũ est anagnoste uti, cuius uox eruditula sit, et clara, et distincta: ut facile intelligi possit: ut pronũciatione fastidiũ ne magis, q̃ uoluptatem adferat: quæ maxime cõparanda est, in hoc ocio et relaxatione. Reliquũ est tertiũ genus, q̃d fuit eorum scriptorũ, q aliquãdo sunt recognoscendi: id quod duobus fit potissimũ tẽporibus: quorũ alterũ honestã necessitatẽ habet: alterius uiro studioso reddenda ratio est. Nam fit sępenumero, ut historica et scriptio et lectio, ad tempus aliq̃d intermittatur: dum de religione aliq d scribimus: aut de reip. aliqua parte opus aliquod conficimus: aut poëma aliquod meditamur: quo confecto, si historiam uel temporis uel belli alicuius perficere placeat: redeundum est ad eum rerũ explicatorem: cuius rationem nos in rebus pronunciãdis sequi uelimus: et cuius nos q̃ simillimi esse cupimꝰ. Et si post eã confectionẽ, sermonẽ aliquẽ philosophicũ cõtexere uisum sit

Quã recognoscenda sint.

redeundum eſſet ad eum autorem, à
quo digreſſus es: & cuius conſtitue-
ris perſequi ueſtigia. Sed cum tres
ſint à nobis anni ꝓpoſiti: intra quos
mea uerſabitur cõſultatio: accedam
ad eos iam: & primum numero com
plectar, quæ nobis per hoc tempus
ſint comparanda. Cognoſcendus igi
tur nobis eſt Cicero totus in lingua
latina, & Cæſaris commentarij, &
Saluſtius, & Vergilius. In quo ſtu-
dio cum quid ſupereſt horarum, in-
terponendum ex Plauto, & Teren-
tio, & Varrone, et Lucretio cęteriſq;
aliquid, quod ad intelligendum faci
le, & ad cognoſcendum ſit iucundũ.
In Græcis authoribus Xenophon-
tis Cyrus, & Socratici commentarij,
et Herodotus, et Thucydides, & De
moſthenes, et Ariſtotelis libri de mo
ribus, & de repub. & Homerus, atq;
Heſiodus. Et cum ab his intermiſſio
fieri poteſt, ſeuocandus aliquando
Theocritus eſt, & Pindarus, & Euri
pides,

pides, & Sophocles: & si quis est a=
lius aut philosophorum, aut histori=
corum, aut poëtarum, qui placeat. In
studijs uero sciẽtię atq; cognitionis,
semper exploratrices dialecticæ re=
gulæ sunt applicandæ: & Geome=
triæ, & Cosmographiæ, & Astrolo=
giæ doctores & magistri, quoad stu
diorum finis requirit, etiam sunt au=
diendi. Ex his omnibus materia ad
stylum est comportanda: qui quoti=
die acuendus est: cuius natura est, ut
ocio & intermissione obtundatur:
exercitatione uero, & perpetua qua=
si exaratione, ut uomis splendidior,
ita hic illustrior & acutior fiat. Vide=
tis onus, quod uestris constitui im=
ponere humeris: quod si ad tertij an
ni Calendas Ianuarias deportabitis:
consequemur, quod uolumus: ut o=
ratio uestra & prudens sit, & diserta:
idemq; sit & mentis & lingue sonus:
quem ego quauis harmonia suauio=
rem puto. Numerose uobis, et for

C

tasse nõ satis distinctè, neq; plenè nominaui, qui legendi sint atq; cognoscendi scriptores. Itaq; paucis etiam disseram de hac ratione, antequam de obseruando, et imitando, et stylo, meam uobis declarem sententiam: ut etiam, quibus singuli temporibus legendi sint, cognoscatis: & intelligatis, qua uia ingrediendum sit: ut omnes eos, quos ꝓposui, intra id tempus, quod cõstitui, legẽdo intelligere possitis. Primum igit̃ uetus illud, et nobile pręceptũ tenendũ est, quod minime facimus: ut temporis quàm maximam rationem habeamus, & eius nobis ratio constet: nosq; met ipsi nobis semper constemus in lectionis, et auscultationis, diligẽtięq; perpetuitate. Quod si tenebitur, tria maximopere fugienda sunt uitia: primum intemperãtia in edendo, & bibendo: tum in familiaritatibus intempestiua cõgressio, & delectus desidiosorum; postremo deambulatio.

Quæ tantum mali adfert: ut etiam industrios, & solertes, ad ignauiam praua quasi oberrandi consuetudine soleat deducere. Præcipiunt etiam id, qui de agricultura scripserunt, qui ambulatorem uillicum esse uetant: cum tamen oculus ut domini, ità & diuitis uillici equum pascat: & obambulatio circum operas plurimum excitet laborātes. tamen quia imprudentes fallit ista sæpe consuetudo: diligenter etiam atq; etiam cauendū est: ne suauitas deambulationum tempus negligat: & studij solicitudinem fallat: & naturas bonas emolliat: recteq; proposita fallaci cōsuetudine ex animis studiosorū hominū cogitationibusq; excludat. Neq; enim me nomē peripateticorū de mea depellit sentētia: neq; mea me mouet cōsuetudo. sum enim natura ambulator. sed illi in disputando ambulatores erāt: nos de legēdo p̄cipimus. & plus ego cōsecutus

eſſem:plura etiam effeciſſem: ſi plus
ad ſeſſionem eſſem aſſuefactus. Spa=
cia ergo & ambulationes in legendo
uitupero:(alia enim ſanitatis & rela=
xationis ſunt tempora)at in meditan=
do,aut cōmentando,aut colloquen=
do concedo,ſi ſint moderatæ : ut fa=
cto modico interuallo, & interpoſi=
to temporis breui ſpacio reditus ad
lectionem fiat. Quanquã in biblio=
theca,& inter libros inquirendo uer
ſari,& ad pulpita aſtare non impro=
bɔ. ſtatus enim erectus cõducit non
nullis hominum corporibus ob ua=
letudinem. & in conferendis autori=
bus, & comparandis multis locis,
tranſeũdum ad diuerſa loca eſt: ſed
tamen ut in cibo,& potu, & in con=
greſſibus familiarium modum re=
quirimus:ſic etiam hic faciendum ar
bitramur. ut conſideretur quid ſit
neceſſariũ, & quid mediocre: quo=
rum alterum cēſetur utilitatis, alterũ
uoluptatis regula,quęcunq; uero in
legendo

legendo utiliter interueniunt nõ reij
cimus. His igitur tribus uitijs expli=
catis: quid deinceps conſtituendum
ſit uideamus. & fortaſſe proximum
eſt: ut cõſideretur, poſſint ne omnes
quos nominaui autores, etiã his tri=
bus uitatis, per hoc triennium à uo=
bis abſolui: & quibus id fieri poſſit
temporibus. diſtinguenda enim tem
pora ſunt: ut etiam actiones omnes
non ſolum opere: ſed etiam tempo=
ris ſpatio homines metiuntur. Ergo
à religione principium ſumatur: cui
primam & poſtremam diei horam
tribuimus. neq; dubiũ eſt, quin mul
ta triennio poſſint his duabus horis
& intelligi, & memoriter teneri: quæ
ad religionis doctrinam, et ad uitam
Chriſtianam conferant. præſertim
cum multa ſibi ſtylus uſurpabit ex ſa
cris ſcriptoribus: ut ex latinis bonis
meliora faciat: & Græca uel ita inter
pretetur, ut latinus ſermo purus per=
maneat; uel ita tractet, ut expoliat. ut

aliquid prẹclari appareat, unde autē id sumptum sit non animaduerta=tur: aut si appareat aliquid, existat quasi speciosius, magisq́ eruditum. hęc inquam tria tempora et legendi, & scribendi magnam, & uariam me diocribus ingenijs religionis & do=ctrinæ materiam poterūt suppedita=re: si diligentiam perpetuo cōparent subsidio. Reliquas horas ego ante meridiem Ciceronis libris & stylo tribuo: quos nullum dubium est, tri ennio omnes legi, & intelligi posse. quod si cōcedatur: etiam uerum est horis pomeridianis in reliquis scri=ptoribus, tum Græcę tum latinæ lin=guæ, tantundem posse cognosci: prę ter eos libros, qui ab anagnoste, de quo prẹcepimus, recitabunt. Quam obrem hoc triennium religionis da=bit magnam cognitionem: & in Ci=cerone philosophiæ non minimam partem: exempla multa, multasq́ sui tēporis historias: quæ in epistolis &

ora=

orationibus condiſcuntur: præter omne genus ſententiarũ, cõſiliorum, factorum, dictorum. atq; hęc omnia labore antemeridiano neq; magno, neq; ingrato: ſi ratio & modus adhibeatᷣ. Pomeridiana uero ſtudia multa dabunt ex Ariſtotele, Platone, Demoſthene, Xenophõte, Herodoto, Thucydide, Homero, Heſiodo, Euripide, Sophocle, Pindaro: reliquisq; oratoribus & poëtis Græcis: itẽ ex latinis, ut Cæſare, Saluſtio, Catone, vergilio, Lucretio, Catullo, Horatio: etiãſi reliqui adiũgi nõ poſſint: quantũ tñ ex his doctrinæ, et uarietatis cõparari poſſit, facile perſpicitis. Sed tamen nullũ ueto ſcriptorẽ prętériri: ex quo nõ aliquid deguſtetᷣ: & cuius pars non aliqua percurratur: et aliqua diligenter obſeruetur. uerũ ita ut tẽporis cura geratur: et habeatᷣ ratio triennij, et finis quẽ conſtituimus ſtudiorũ. Atq; hac de cauſa neq; oẽs ſcriptores nominaui: neq; oẽs hos le

gere iubeo: neq; ueto eos quos non nominaui nõ cognoſcere. Poëta uerè Romanus eſt Plautus: & natura poëta copioſus et cõcinnus Ouidius: et Plinius uterq; perutilis: et hiſtoricus grãdis Liuius: & uerus explicator Tacitus, et qui de agricultura ſcripſerũt: & de architectura: & de re militari: quis neget eos homini literato, & docto, non eſſe complectendos? ſed mea præceptio triennij eſt: & accommodata eſt ad ueſtram ætatem, & genus, et uires. uobis enim ſcribo: in quo ego qualem nobilem erudiri uelim, ad Cæſarum & Regum conſilia, & ad rerumpublicarum curationes, conſidero. neq; tamen mihi ullũ eſt dubium: ſi quæ partim intelligere oportet, partim tenere memoria conſequemini: ex ſacris autoribus, et ex Cicerone toto: & ex orationibus Demoſthenis melioribus: & ex Ariſtotelis, atq; Platonis libris de Rep. et de legibus; et ex illis quos paulo

ante

Plautus. Ouidius. Plinius. Liuius. Tacitus.

ante indicaui paucis: in quibus etiã aliqua præteriri patiar, ſi tempus id flagitet: & tamen ſi ſolum hęc inquã cura & ratione aſſequemini: non dubito, quin grati futuri ſitis, omni erudito cœtui: omni literatę congreſſioni: omni prudenti conſilio: non minus quàm in ſermonibus tribus de oratore Cotta, & Sulpitius, Sceuolę, & Craſſo, & Antonio grati & iucundi fuerunt auditores: & quàm fuit acceptus Ciceroni in diſputatione de finibus bonorum adoleſcens Triarius. Sed iam tempus eſt, ut ad rationẽ legendi, & ſcribendi accedam: quæ pars eſt præcipua huius inſtituti. nam iam ferè omnes ſciunt, qui ſint legendi præcipue: & quę legenda unicuiq; utiliter: quomodo uero legendum ſit, primum id ſcire paucorum eſt: deinde uariũ eſt. quot enim inquit ille capita tot ſenſus. ego uero meã uobis ſententiã meo arbitratu, meoq; more exponã; nihil propriũ

arbi-

arbitrans, si quid in his etiam ab alijs usurpatur: & suũ unicuiq; relinquẽs iudiciũ. uobis cõsulens: alios ad hæc pręcepta non alligans. In legendo autem eandem, quã in scribendo, atq; dicendo rationem, uehemẽter sequi oportet: ut prima cura habeatur rerum: altera uerborum. Sed ut in scribendo atq; inueniendo, primum omnium cogitandũ est quid docere, aut defendere, aut tradere uelimus: deinde quibus id consequi rationibus. sic in legendo, primũ percurrendus uniuersus uel liber, uel oratio, uel epistola, uel opus aliquod uniuersum: deinde singula cognoscendo, iudicando, ponderando sumenda in manus, ut ne quid lateat intelligentiam: sine qua omnis est fluxilis memoria: & incerta obseruatio: & fallax imitatio. Quanquam uerũ est, occurrere sæpe apud scriptores antiquos loca: tanta difficultate, & obscuritate: ut uel intelligi nullo

modo

Consilium legẽdi

A signifi

Accomodatio.

Omissio.

modo poſſint : uel labori utilitas,
poſtquam intellecta ſunt, nõ reſpon
deat. quæ ego, cum talia ſunt, pręter-
eunda cenſeo. Memini me, cum ado
leſcens Louanij mihi domi orationẽ
Roſcianam legerem : præteriſſe il-
lam allegoriam de lacu Seruiliano:
& cum Luteciæ eandem publicè in-
terpretarer: quoad potui explicaſſe:
& antea Budeũ conſuluiſſe. ſed tum
memini me etiam hoc conſilium de-
diſſe meis: ut in huiuſmodi ſcopulis
facerent : quod boni aratores in ſe-
mente, & meſſe faciunt : qui ſpineta,
& radices arborum altas , & ſaxa
prærupta, arando & metendo præ-
tereunt: ſi impenſa fructum ſuperet.
ſic etiam illi, notent ea loca, quæ uti-
liter in præſenti cognoſci nõ poſſint.
ueruntamen ut illi quæ cum emolu-
mento poſſunt ſaxa euertunt: et trun
catas arbores effodiunt : & ſpinas
euellunt : ſic etiam illis operæpre-
cium eſſet in ijs ſententijs ſubſiſtere:
quæ

quæ intelligi possint, etiamsi sint difficiles: & si absq; ijs lumen cæterorũ obscuretur. Primus igitur legendi labor in his duobus consistit: proximus est ordinis atq; collocationis: tertius tractationis. cũ uidetur quæ principio tanquam in acie aut pompa disposita sint: quæ ad extremum retenta: quę in medio concinnata. et cum obseruatur quæ commemorentur copiose: quæ breuiter percurrantur: & quoties aliqua repetãtur. tum quibus id uerborum generibus, & sententiarum formis: & qua ratione, atq; uia. in quibus sita est omnis & intelligendi, & imitandi, & scribendi, atq; dicẽdi ratio. ad eamq; tria oportet locorum genera comparare. unũ rerum: qui libri uocantur locorum communium. alterum uerborum. tertium artificij, et exemplorum: quę artis præcepta repræsentent. Rerum & uerborum loci ijdem propè sunt: quorum distinctio à me indicata est

in

in aliis libris. Artis loca inde ſumun
tur, unde præcepta hauſimus: quę o
mnium optimè atq; perfectiſſime ab
Ariſtotele atq; Cicerone ſunt tradi
ta. Omnis uero hæc ratio ἀναλυτικὰ
eſt: de qua ſępe ex me audiuiſtis: quā
oportet à primis annis inſtituere; in
eaq; exerceri, & conſtanter pergere:
ſi eos ſequi uolumus qui apud Græ
cos & Romanos doctrinæ gloriam
obtinuerunt: & in rebuſpub. admini
ſtrandis habiti ſunt ſapientes: nō ſo
lum Rhetores, aut oratores, aut phi
loſophos: uerum etiam Conſules, &
Imperatores, & Reges: quos non mi
nus fama doctrinæ, quàm factorum
gloria celebrauit. quo magis uitupe
randa eſt noſtræ nobilitatis barbara
cōſuetudo, & agreſtis opinio: in qua
plæriq; ſunt, qui exiſtimant non ſe ſa
tis militares, atq; bellicoſos haberi: ſi
literarum periti uideantur. quos do
ctrinæ pudet: morum nō pudet: qui
mores cuiuſmodi ſint in aliquibus,

me

me pudet commemorare. Quanto magis laudandũ eſt, in illuſtri domo, homines nobiles eſſe: quorum et genus, & uita, & doctrina conſentiunt: qui ſumptis aut à maioribus ſuis, aut melioribus familijs præclaræ uitæ exemplis: ipſi exemplum ſint, ſuæ poſt ſe ſtirpi: & cæteros mortales ad ſimilem uirtutem excitent. Alcibiadi nobili homini Athenienſi, quid magis obſtitit ad ueram gloriam: quàm quòd Socratis conſilio, & præceptis non obtemperauit? In eadem antea republica Pericles, quicquid famæ & nominis comparauit: eius partem maximam eloquentia atq; doctrina ſibi arrogat. Inuiſa fuit C. Iulij Cæſaris, noua dominatio: tamen eam inuidiam, atque bonorum uirorum uituperationem, commentarij eius minuũt: in quibus uirtus in eo militaris elucet: non tam factis eius celebrata: quàm exornata ab ipſo ſuarum literarum monimentis.

tis. Sed ut eò unde digreſſus ſum reuertar: tria oportet illa, de quibus dictum eſt, genera habere uoluminum: rerum, uerborũ, artis. & quanquam linguæ Latinæ commentarij multi in manibus ſunt hominum: quidam etiam locos congerere et implere conati ſunt omnium rerum: tamen ad memoriã utile eſt, et ad pefrectionẽ quenq; ſuos habere à ſe digeſtos locos: & aliorum inuentis aut addere aliquid, aut detrahere, aut immutare. Et quoniam de uerborum locis, qui ijdem ferè ſunt cum receptaculis rerum, ſæpe aliàs & dictum à nobis eſt, & ſcriptum: non opus eſt hoc loco eadem repetere. artis loci ex ipſis ſumuntur Rhetorum præceptis: de partibus orationum, de generibus cauſarum, argumentationum, ornamentorum, circumductionum. Et quia horum obſeruatio ad ſecundum legendi laborem pertinet, de quo paulo

antè

ante dicere incepimus: & quia legendi, & obseruandi, & annotandi coniuncta, & continuata esse tempora debent: explicemus paulo copiosius hanc obseruandi, & annotandi rationem. Incipit igitur hæc ratio ab animaduersione, & comparatione desi-
1 nit. Animaduersionem γνῶσιν appello τοῦ ὑποκειμένου πράγματος καὶ ἐρ-
2 γασίας: & comparationem, τὴν τῶν ἄλλων συζήτησιν. Primum enim considerandum est, quid dicatur, et quo modo: deinde quoniam una res uariam sæpe tractationem habet, propter decorum: comparanda præsentia sunt cum alijs, quæ uel ab eodem autore composita sunt, uel ab alijs scriptoribus concinnata. Post hoc bipartitũ studium, ad annotationem transeundum: & quæ sunt animaduersa, atq; intellecta, ea ad artis locos, atq; uolumen comportanda: & suis distinguenda quasi cellulis. Annotandi rursus triplex ratio est: una,


cum

cum integros locos describimus: al- 2
tera, cum eosdem locos paucis uer-
bis consignamus, quæ ἀποσημειώσεις
nominantur: altera, cum figuris o- 3
mnia membra deliniamus, quas do-
cendi gratia ἀποσχηματισμοὺς appella
re soleo. Vt σχηματισμοὶ autorum
sint: nostræ uero delineationes ἀπο-
σχηματισμοὶ uocentur. Nec à nobis fi
cta hæc ratio est: sed usurpata quon-
dam in Græcia atque Italia, à dialecti-
cis & rhetoricis magistris. Nam &
Aristotelici conclusionum genera,
& pugnas propositionum figuris
distinguunt: & rhetores circuitus τε-
κώλους, ἰσοπλεύρους, & ἰσοσκελεῖς nomi-
nant. Græci etiam scriptorum atque
oratorum προσοικοδομήσεις nominãt:
& Antonius historiæ exædificatio-
nis meminit, libro secundo de ora-
tore. Quæ omnia ut ipsa etiam ædi-
ficia possunt delineari, ut fundamen
ta appareant, tecta extent, uestibula
conspiciantur, conclauia distinguan

tur, ianuæ, & feneſtræ, & columnæ, cæteraeq; partes ob oculos artificioſe ponantur, & uniuerſa ſtructura appareat: cuiuſmodi etiam in ædificatione uerborũ in Albutio & Craſſo, Lucilius & Scæuola animaduerterunt.


Quàm lepide lexis compoſtæ, ut teſſerulæ omnes
Arte pauimento, atq; emblemate uermiculato.
Craſſum habeo generum, ne rhetoriſtero' tu ſis.

Ergo delineemus primam illam apud Ciceronem trium membrorum compræhenſionem. Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt: membrum eſt unum quatuordecim ſyllabarum. Sequitur alterum, quod totidem eſt relatum ſyllabis: hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore. Tertium breuius eſt, decem ſyllabis curtatum: ſumma gratia & eloquentia. Hermogenes hoc genus triangulo ἰσοσκελεῖ erecto notabat. Sed quoniam breuius illud membrum



aliquando

aliquando & primum collocatur, ali quando in medio accommodatè ad mentis auriumq; iudicium interponitur: tribus etiam explicatis lineis potest designari: duabus æqualibus tertia breuiore.



Eadem ratio teneri potest in complexionibus duorũ & quatuor membrorum; eadem in longioribus circumductionibus, de quibus in rhetoricis audiuistis. Neq; difficile mihi esset plurima exempla proponere: si ferrent librarij, & huius esset loci. Aliud etiam tempus hæc tractatio desiderat: nunc uobis hanc rationem quasi procul ostendere satis est: præsertim cum similia ex me aliquãdo cognoueritis. Sed nõ comprehensio solum, & ambitus sententiarum hoc modo: uerum etiam

Praeci-sio.

reliquæ oratorum tractationes, quas ἐργασίας uocant. Exposui uobis hac æstate Virgilij Eclogas: & concinnitatem in carminibus tristis & calamitosi Meliboei indicaui. Primi enim quatuor uersus comparationem habent: sed quomodo tractata, qua ratione coædificata?

Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi,
Syluestrem tenui musam meditaris auena.

Duobus uersibus fœlicitatem Tityri cecinit: de se uero uno & dimidiato conqueritur.

Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua:
Nos patriam fugimus:


Redit post ad Tityri fœlicitatem, & perficit uersum inchoatum, & addit integrum.

tu Tityre lentus in umbra.
Formosam resonare doces Amarillida siluas.

Expolitio ista circulum habet. Est enim ut uerborum, ita etiam rerum κύκλος, & ἐργασία κυκλοειδής. itaque qui Mathematicos sequebantur, circulo

anno-

annotabant: potest tamen etiam hęc figura assignari.



Incipit itaq; à Tityro Meliboeus: & in eodem desinit. Sed quærat aliquis fortassis, quas hæc ratio utilitates habeat: cum prolixa sit, & propè infinita, & libera scriptoribus. Et ut ad postremum primo loco respondeam: liberum non est, quod auditorum auribus, & eruditorum hominum iudicio debet satisfacere, & rebus ipsis accommodari. deinde etsi exempla infinita sunt, (multa enim extant, plurima interierunt, noua fortasse multa constituentur) tamen tractatio ipsa terminata certis generibus est: ut hęc ipsa, de qua loquimur, comparatio: quæ est uel similium re

rum, uel contrariarum, uel aliquibus rebus differentium. Deinde uel utrunque uel æqualiter aut contrahitur, aut producitur: uel altera pars magis: uel prima etiam ad postremum repetitur, ut in hoc Virgilij principio. Vt enim architecti non est omnia, quæ ubique sunt ædificia intueri, atque cognoscere, sed satis est in singulis generibus meliora aliqua ad imitandum inspexisse: ita etiam scriptori faciendum est: ut in omnibus paucos deligat, quos æmuletur, & cum quibus uelit contendat. Vtilitas uero in his est: primum, quod res melius intelligatur, eoque memoriæ magis consuletur: deinde artificij obseruatio uoluptatem gignit, ex qua constantia & auiditas nascitur, in perlegendis aliorum scriptis: quibus contraria sunt leuitas atque satietas uitia, quibus in studijs nihil est nocentius. Tum ad iudicandum multum opis adfert hæc diligentia: & sæ

pe

pe artificium in facili loco animad-uersum, in difficilioribus ea quæ re-condita sunt, eruit. ut Tityrus in sua antistrophe, primo uersu ocium & Deum fatetur.

O Mœlibee Deus nobis hæc otia fecit.


deinde duobus uersibus rationem reddit, & promittit honores.

Namq; erit ille mihi semper Deus: illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

postremis duobus uersibus redit ad ocia, quorum meminit, eaq; ex-plicat.

Ille meas errare boues, ut cernis, & ipsum
Ludere, quæ uellem, calamo permisit agresti.

Ergo etiam hi quinq; uersus, lineis depingi possunt, ut ipsa structura o-peris appareat.



Eſt etiam alia utilitas huius rationis,
quæ primum eſt in annotationibus,
quas appellaui ἀποσημειώσεις: deinde
in iſtis apoſchematiſmis: quòd hac
uia patefacta etiam conſpicitur, quo
modo inter ſe genera dicendi diffe-
rant, & quibus id conſequamur ra-
tionibus. Quomodo enim iudicabi-
tur, quid inter ſe tria Virgilij princi-
pia differant: huius Eclogæ, & Geor
gicorum, & Aeneidos, abſq; hac ob
ſeruatione? Primum enim concin-
num eſt hac comparatione, id quod
paſtorali cantui conuenit: alterũ par-
titione mediocriter auctum, quod
ruſticam parſimoniam, & agricultu
ram decet: tertium ornatum circum-
ſcriptione ampla, quam heroica po-
ſtulabat grauitas. Atq; hæc tria ut ar
tis uocabulis, ſic etiam lineis poterũt
diſtingui. Habet igitur hæc ratio e-
tiam hanc utilitatem, ut quæ parum
inter ſe differant: tamen, quomodo
differant, clariſſimè indicent. Eoſdẽ
enim

enim habent, ut uocant, pedes hi duo uersus.

Tityre tu patulæ recubans sub tegmine fagi. &:
Protenus æger ago, hanc etiam uix Tityre duco.

at differunt & uerborum literarũq; concursu, et harmonia: ex quibus numerus nascitur poëticus. id quod hac ratione intelligitur.

! . .   . ! .   . ! .   . .   ! . .   ! .

Nam primus pes et quintus similem harmoniam habent. sonus enim uocis est in prima, hoc est, in tertia citra postremam: et secundus et tertius in media. Alter uero ille uersus,

Protenus æger ago, hanc etiam uix Tityre duco:

cũ ijsdem metiatur pedibus: tamẽ sono & collocatione literarum differt.

! . .   ! . !   ! ! .   . !   ! . .   ! .

Nam secundus & tertius numerus heroicus duos sonos acutos habet: & tertius uocalium contractionẽ: & spondæi duo sunt magis sonantes: ita ut iste primo illo, ut est reipsa tristior,

ſtior, ſic etiam ſono grauior exiſtat. Poëtarum hæc ſunt exempla: ſed quia uobis iſta ſuperiore proxima æſtate & interpretatus ſum, & indicaui: uolui notis ex proximis uti indicijs. Deinde eandem rationem in oratoribus & hiſtoricis ſequi debemus: & habent omnes ſcriptores multa inter ſe communia. Si enim dicam: Vir ſapiens ſemper honeſtatem ſequitur: & pro ea mortem libenter oppetit: ſtultus rebus honeſtis uoluptatem anteponit: quam ſapiens non ſenſuum titillationibus, ſed uirtute atque honeſtate metitur. Philoſophicum iſtud genus orationis eſt: ſed compoſitum ad imitationem exempli poëtici: quod abſq; hac ſiue arte, ſiue ratione, ſiue obſeruatione, aut quomodocunque appellare placet, aut non poteſt, aut difficulter poterit intelligi. & uerborum iſtud genere atque natura à

Vergi-

Vergilij uerſibus differt: forma ſerè eadem eſt, ut inter ſe duæ togæ diſcrepant, quæ forma ſint eadem conſutæ: ſed altera uiridis ſit, & lætioris coloris: altera nigri, & ſeuerioris: & ab altera ulna aliqua panni opificis arbitratu detracta. Hæc obſeruare, & huiuſmodi rationes locis digerere: magnas utilitates ad utendum atque mutandum parat: magnam in cognoſcendo uoluptatem gignit. Et quanquam uarium & multiplex ſit: tamen unius horæ quotidiana diligentia, ubi neque magiſter neque ingenium deeſt: mirum eſt quantum triennio humana poteſt conſequi induſtria. Sed ueſtram ego uitæ & gentis conditionem conſiderans: conſulo, ut in orationibus primum Ciceronis, & Demoſthenis, hoc ſtudium præcipue ponatis: deinde in libris Philoſophicis Ciceronis, & hiſtoricis. Quanquam etiam

epiſtolæ de principio ſtatim in ma-
nus ſumendæ ſunt. In omnibus his
per interualla ſæpe temporũ ad poë-
tas tranſeundũ: ſed parcè neq; diu,
antequam ſtylus & copioſus fiat, &
oratorius. Placet enim mihi Antoni-
us apud Ciceronem: qui in cauſis ſe
ciuilibus & forenſibus diligenter &
perpetuò exercuit: & hiſtorijs ſe ob-
lectauit; philoſophos legit, ſed non
ſecutus eſt: propter anguſtas atque
conciſas diſputationes: à poëtis tan-
quã altera lingua locutis abſtinuit.
Sed fuit diſſimulator ſtudiorũ An-
tonius, ut etiam artis ſuæ dicendi: &
cum ſe dicit philoſophos non intelli
gere, & poëtas non attingere: indi-
cat, quid in imitando ſequendũ ſit,
quid uitandum: idq; oratori, cuius o-
ratio in multitudine debet probari.
Atq; hęc eò ego ſcribo, ut uideatis, in
quibus maximè operam conſumere
uos oporteat: quò ad eum, quem pro
poſitum habetis, finem perueniatis.

Iam

Iam uero quia omnis obſeruatio, omnisq́ exemplorum notatio ſtylo præparata eſt, & ad ſcriptionem reliquamq́ exercitationẽ dirigitur: de ſcribendi ratione, quam uos ſequi oportet, deinceps eſt dicendũ. In qua illud primum præcipitur: ut de argumento cogites, quod Ariſtoteles τὸ ὑποκείμενον πρᾶγμα nominat. Id eiuſmodi ſit, ut totum à nobis intelligatur. Neq; enim fieri poteſt, ut cuius naturam non perſpexerimus, id ſcribendo poſſimus exprimere: non magis, quàm ſi pictor, quem nunquam uidiſſet, aut de quo non audiuiſſet, Aiacis clypeum, aut Achillis arma, aut Diomedis et Glauci honorarias donationes & congreſſus uellet depingere. Primum igitur ſit in præceptis, ut rei natura uniuerſa cognoſcatur. Ex quo alterũ efficitur, in rebus delectum habendum eſſe: ut eæ principio huius exercitationis eligantur, quæ ad intelligendum faciles ſunt:

& ad

& ad tractandum atque demonstrandum non nimis prolixæ. In prolixitate enim & obscuritate, præsertim incipienti, operosa molestia metuenda est: ex qua fastidium oritur huius consuetudinis: quam lætam esse & hilarem uolumus, non tristem atque abiectam. Nam ut non tam canit bene, qui canit inuitus: ita etiam non tam scribit, elimatè, qui cum fastidio scribit, quàm qui scribit studio excitato. Itaque & notis rebus principio stylus applicetur: & non prolixis, neque obscuris. Quibus duobus illud adiunctum atque cognatum est, ut etiam breui explicentur. uersibus enim, non uniuersa rei natura, modum huius diligentiæ censeri uolo: ut est breuis alicuius uel epistolæ, uel narratiunculæ, uel argumentationis, uel comparationis & similitudinis, similiumq; breuium rerum tractatio. Illud etiam hoc in

loco

loco recte præcipitur: ut primus annus in Cicerone consumatur, ex eóque stylo suppeditemus materiam: neque integras instituamus ad eius imitationem orationes: sed primò particulas aliquas, idq; breuiores: quæ uel necessarium, uel insignem aliquem locum habent. Voco autem necessarium, quo ferè semper utendum est: insignem, qui hoc ipso commendatur, quod propter perspicuam concinnitatem accersitur raro, & in leuioribus absconditur. Ciceronis igitur primo anno libros & lectioni tribuimus & stylo: cæteros uero scriptores tum Græcos, tum Latinos, legendo solum cognoscere per id tempus est satis. & hic annus solutæ tantum oratorum orationi detur: insequentes etiam historicis atque poëticis exercitationibus largimur: sed parcè, ut ne prima hæc & princeps exercitatio impediatur:

neq;

neq; imprudenter alienis aut hiſtori-
corum exercitationibus, aut poëta-
rum linguis, ſenatorium & forenſe
oratoris os uoceḿq; uideamur infi-
cere. Hæc omnia illi facilius, & cer-
tius conſequentur: quibus præmon-
ſtrator & magiſter cõtinget. Et quo
niam pauci ſunt, qui id poterunt: dili
genter uidendũ eſt, ne indoctus aut
imperitus, pro erudito & exercitato
cõparetur. Atq; hæc de ſtylo, & ſcri-
bendi conſuetudine: cui coniunxe-
runt ueteres commentationes & de-
clamationes ante actiones forenſes
atq; ciuiles. Sed quoniã omnia hæc
abſq; imitatione fruſtra inſtituun-
tur: dicẽdum deinceps de hac eſt. in
qua iſta quæri poſſunt: quid ſit imi-
tatio: & qui proponendi ad imitan-
dum pro exemplo: et unus ne eſſe de
beat exẽplo, an multi: tum, quę imi-
tanda, & quomòdo: poſtremò, quo
ſit inſtituenda imitatio tempore. De
quibus omnibus ego meam uobis

exponam

exponam sententiam : sed paucis. nam omnia in hoc libello, & in hoc uestro consilio copiose demonstrare non decet. Non enim doceo quid omnibus imitatoribus agendum sit: sed quã uiam uos ingredi debeatis: qui à reliquis literatis uiris, quibus propositum est solum philosophari: tum generis nobilitate, tũ uitæ instituto estis separati. Imitationẽ appello μιμητικὴν: in qua ζῆλος est, studiũ & amor eius consequendi, quod in alterius oratione laudabile et admirabile uidetr. Ea uerò ratio est exprimẽdi in tua oratione, quæ in aliena aut laudabiles aut illustres sunt, dicendi tractationes et formas: quas Græci tũ εἴδη: tũ ἰδέας nominant. Quamobrem & artem in hac ratione esse uolumus: ut nihil fiat contra decorum, quod summa semper cura alendum est: & scientiam rei uniuersæ, & omnium rerum: non unius alicuius rei, aut partis unius. Quis enim eũ lau-

det pictorem, qui manus solum in homine depingere possit: reliquas partes non possit: aut humana capita qui possit deformare: reliqua animantia coloribus & umbris conuenientibus repręsentare nesciat: Non hæc ratio artis est, neque paruæ, neque tenuis scientię: sed tenenda sunt in hac doctrina, quicquid omnia dicendi genera postulant: ad quæ omnis est referenda imitatio. Ex quibus intelligitur, quod secundo loco quærendum fuit: quis potissimũ sit imitandus, quẽ pro exemplo habeamus atque æmulemur. Is enim nos ad suas uirtutes maximopere appetendas excitare debet: in quo plurimę et artificiosissimæ apparent & extant: non quod ornatus ita debeat esse applicatus, ut ab omnibus intelligatur: sed de uobis loquor, & de imitatoribus: qui, quod reliqui non possunt, ipsi possunt uidere dicendi formas, & earum ornamenta. Sed

cum

cum apud Latinos ſcriptores, uete- res illos Romanos, quorum & ſa- na, & uolubilis, & ornata lingua fuit, nullus ſit, qui propius omnes ἰδέας orationis ſpectandas nobis dederit, præter Ciceronem; huic e- tiam, cum & ſuæ ætatis ſcriptores, & qui poſt alijs ſcripſerunt inſequen- tibus ſeculis, eloquentiæ primas dederint: quis eſt, qui dubitet, hunc in exemplis quaſi anteſignanum de bere collocari? nulla forma eſt ora- toriæ eloquentiæ; nulla etiam phi- loſophicæ diſceptationis; nulla ſer- monis quotidiani: quam non uel to- tam expreſſamq́ꝫ oſtenderit: uel cu- ius non partem ita delinearit, ut quomodo reliquæ partes effingen- dæ ſint, à mediocri artifice non in- telligatur. Sit igit̃ hoc datũ atqꝫ poſi- tum: hoc ſcriptore nullũ neqꝫ certius, neqꝫ prçclarius in Latina lingua exẽ plũ: ſed ſolũ ne ſit, & alia ne etiã ꝑcla ra uideamus, qua in q̃ſtione ſi roger,

sint ne omnia à Cicerone literis tradita: & ea ne omnia adhuc hominibus extent: rogor quod neq; ignorari potest, neq; debet interrogari. Caremus enim eius de repub. libris, id quod omnes sciũt Grammatici: nullas habemus ab eo scriptas historias: nihil etiam eorum scripsit, quæ à Varrone de agricultura: à Plinio de rebus naturalibus: à Vegetio de re militari: à Vitruuio de architectura sunt explicata. Iam quàm multa sunt apud Græcos philosophos, medicos, historiarum scriptores: quę non à Cicerone sunt attacta? uerum nos de imitandi scientia loquimur, quæ sola facit perfectum artificem, & moderatrix est styli: etiãsi ipse stylus sit dicẽdi effector et magister uocatus. Permitto, ut omnes atq; omnia legãtur: sed ratione atq; iudicio. ut statuamus ab aliis materiam multam, & magnam, & præclaram accumulari posse: uerba etiam congeri: & stylũ,

de quo

de quo loquimur, imitatorem optimi cuiusque exempli, delectum adhibere, rebus ipsis conuenientes formas adferre: quarum genera & proprietates nusquam melius, quàm in Ciceronis monumentis conspiciuntur. Quanquam fateri debeo, & libenter fateor: apud Demosthenem esse nonnulla, quorum imaginem apud Ciceronem non facile reperias. & in Platonis sermonibus multa sunt prȩclara & diuina, digna imitatione: quorum à Cicerone etiamsi adumbrata sæpe sit, tamen non est aliquando penitus expressa effigies. Deinde quis negat, si historia scribenda sit: aut si uersus faciẽdi, poëtã imitandũ esse: sic etiam historicum deligendũ, cum quo contẽdatur: & ad eius imaginẽ quam proximè conandũ ut accedamus? Quid ergo est? idẽ est imitandi, qui legendi, ordo. Primus labor Ciceroni tribuatur: & quod huic deest, id conquire aliunde. sed hunc

prius disce, & in hoc te prius exerce: & quoad proficis, non te tui exempli pœniteat. Memini antea comparationis, quam συζήτησιν & σύγκρισιν scriptorum Græci nominant: quæ utilissima est studiorum ratio. quis negat à Cicerone & Demosthene multarũ rerum eandem esse sæpe expolitionem: sæpe etiam esse discrimen? quis nõ laudabile putet, cum apud alios inuenis, quod bonũ & singulare est, idẽ non consignare: & ad locos artis & imitationis, quorum memini, deportare: ibi tractationem delineare: autorẽ iudicare: rem tractatã breui subijcere? Cum ergo de Latina lingua sit quęstio: et hominis togati uocem & orationem polire atq; ornare propositum sit: et primę semper partes Ciceroni sint tributæ: neq; quisquam hoc scriptore tam uaria dicendi genera summa cum elegantia, et orationis decoro expresserit: quis negabit tam diu hunc

relin-

Comparatio.

relinquendum non esse : dum cognoscuntur res præclaræ, quæ antea à nobis ignorabantur : & dum, quæ uolumus, ea apud hunc inuenimus? Quod uero deest, id ab alijs non accipere, si liceat, dementia est. Sed si instructus ab huius oratoris copijs, facultatibus, opibus, ad alios uenias: non difficile erit, quid tibi desit, quod necessariũ sit, animaduertere. Et posteaquam benè infectũ erit huius eloquentiæ saluberrimis fontibus palatum : minus periculi erit in alienis humoribus, ne idẽ deprauato sensu corrũpatur. Vt igitur à Demosthene lacertoso oratore utiliter ad Isocratem politũ & comptũ scriptorẽ transitur, aut utrūq; eodem tempore rectè coniunguntˀ : ita etiã à Cicerone ad Demosthenẽ non solũ transitũ fieri patiar : sed ut digressio per interualla fiat, consulo : & ut sæpe inter se comparentur, suadeo : ut etiã censeo, si historiã conficere propositum

positum est, ut aliud genus oratio-nis instituamus: quod ipse etiam Ci-cero faciendum iudicat. Fusa enim historica oratio est, & tracta, ut in-quit Antonius: & cum lenitate qua-dam æquabili profluens: ut in foro & iudicio, asperitas est, & sententia-rum aculei. Ergo historia aliud di-cendi genus postulat: quod in opti-mis autoribus animaduertitur. Sed tamen ad hoc ipsum cõsequendum, Cicero: qui idem potuisset, & certe melius fortasse, quam Salustius, aut Cæsar, aut Liuius, magnas faculta-tes adferet, & iudiciũ elimatum sup-peditabit: non solum ut simile, sed ut etiam aliquando melius idem effici-as. In Liuio patauinitatem, ut scribit Quintilianus, Pollio depræhendit: quam non considerasset: si non ex melioribus cognouisset, quid Ro-manum esset, et quid Patauinum. Et qui Ciceronis aquis bene os imbu-tum habent: eodem illi gustatu in Li

uio eam, ut ita loquar, peregrinitatem sentire poterũt: quam sensit Pollio. Sed hæc hactenus de ea quęstione, in qua rogatur: quis potissimum imitandus, & qui pręter hunc alij. Cicero enim inprimis: & præter hunc, in suo genere optimus quisq;, sequitur, ut indicemus, quid imitandum sit: & qua prosequendũ id sit ratione. Quæ pars tametsi prolixa sit, & fusa per omnia præcepta eloquentiæ: tamen ad pauca astringetur à nobis capita. Omnis enim ista deliberatio ab uno capite incipit: & id in duo continuò membra secatur. primum enim argumentum, quod explicandum suscepimus, considerari oportet, quò pertineat: deinde uidendum est, quam rerum flagitet tractationem, & quem rerum atq; uerborum ornatum requirat. Et hæc causa est, quamobrem tractatione, & dicendi genere, immutationis à me sit cõplexa & perfecta definitio. Neq;

obscu-

obſcurum eſt, ſi propoſitum eſt dia-
logum ſcribere, & homines inter ſe
colloquentes introducere; nõ ad ora
tiones Ciceronis ſpectandũ eſſe; ſed
in Tuſculanis aut Academicis quæ-
ſtionibus, ſimilibusq́; ſermonibus eſ
ſe, quæ ſequamur. Sic ſi orationẽ, ſi
comœdiã, ſi tragœdiã, ſi ſatyrã: quò
ſint oculi dirigendi, & in quod ani-
mus intueri debeat, clarum eſt. Inci-
pit ergo hoc ſtudium ab argumen-
to; & ſe ad duo capita ſeuocat. argu-
mentum non ſemel iam à nobis ap-
pellatum eſt, τὸ ὑποκείμενον πρᾶ-
γμα; alij ὑπόθεσιν uocant. Genus di-
cendi ἰδέαν; tractationem noſtro ar-
bitratu, tum μέθοδον, tum ἐργασίαν no
minemus: non quòd ratio ipſa tra-
ctandi etiã ad dicendi formas perti-
neat: (habet enim quæq; ſuam tracta
tionem) ſed rerum uocamus pro-
prie tractationem: elocutionis uero
& formæ ornatum: propterea quòd
unaquæq; res proprium & conue-
nien-

nientem ornatum desiderat. Sed argumentum deligendum est: qua in electione Horatij consilium sequi oportet: qui præcipit.

Sumere materiam nostris qui scribimus æquam
Viribus: & uersare diu quid ferre recusent,
Quid ualeant humeri.—

Vires uero maxime diligētia iuuantur. Qui enim ingenio et doctrina minus possunt: exemplo optimorum oratorum atq; scriptorū subsidio diligentiam debent comparare. Quo fit, ut uirium æstimatio tribus perficiatur: ingenio, cognitione, diligentia. Nam qui & ingenij acumine prę ditus est: & ad id doctrinā comitem atq; ducem comparauit, adhibita diligentia, & uehemēti excitatione industriæ, magnum necesse est esse, quod nō queat scribendo poliēdoq; persequi. Sed hanc partē deliberationis explicare totā non possumus, antequam de imitandi tempore cognoscatur: & quia uirium & ingenij atq; doctri-

doctrinæ mentio facta est: exponemus breuiter id, quod postremum fuit: quo sit imitatio instituenda tempore: quod non tam ætate censendũ est, quàm uiribus. Vt igitur pueros Aristoteles à suis Ethicis excludit: ita ego etiã non pueros solũ; uerũ etiam eos remoueo uiros ab hac artificiosa uia: qui præcepta dicendi non tenent, qui rerum doctrinam nullam sunt adepti: & qui non summo studio expetant laudatissimę & optimę orationi suam quàm simillimam existere. Nam idcirco pueros Aristoteles & adolescentulos à sua disciplina, ut opinor, depellit: quod nec uoluntatis in ipsis sit cõstans excitatio: nec morale iudicium. Sic nos etiam φιλορήτορα incenso animo, cuius pectus nonnulla sit literarum doctrina eruditum, ad hoc studium, & imitandi rationem admittimus. Imperitos uero, dum erudiantur: & ignauos, dum excitentur: ad reliquarum artiũ magistros

magiſtros, qui eos ferre poſſunt, relegamus. Quo ergo tempore, animus ita comparatus atq; inſtructus eſt: id maxime idoneum eſt ad hanc conſuetudinem. Quanquam non ego exquiſitam doctrinam flagito: iſta ego ueſtra mediocritate contentus ſum: ueruntamen huius exercitationis tria ſunt tempora: unum diſciplinæ, quod primum eſt: alterū doctrinæ, quod medium: tertium atq; ultimū perfectionis. Diſcere enim tam diu debemus hanc artem, dum neq; conſequimur, neq; perficimus, quod diuulgari poſſit, & dignum ſit omnium auribus, & eruditis gratum. Poſteaquam uero & huius rationis, & plurimarum rerum doctrinam comparauimus: ut bene exercitatus poſterioribus agēdis partibus hiſtrio, ad primas rectè, & in theatrum conſpiciendus admittitur: ſic etiam ueſtra oratio, poſtquam hoc modo expolita erit, nō metuet multorum ſen-

tentías : neq; doctorum hominum
iudicia extimeſcet. Tertiũ tempus,
quod erat perfectionis:tametſi optã
dum ſit,eoq; contendendum, ut nul
lo opus ſit nobis exemplo : tamen
haud ſcio,an unquam cuiquam con
tinget. In tanta enim uarietate, &
excellentia philoſophorum, orato-
rum,hiſtoricorum , poëtarum, erit
ſemper aliquid,quod uel non legi-
mus antea, uel nõ animaduertimus:
ſemper quod cognoſcamus. Diffici-
le enim eſt omnia legere:omnia intel
ligere: propè omnibus mortalibus
negatum meminiſſe. Sed tamen,
quoad poſſumus,contendendum et
proſequendum eſt. turpe enim eſt
ſubſiſtere in uirtutis , & laudis, &
gloriæ uia,cum progredi liceat: præ
ſertim cum poſtremi labores plæ-
rumq; primis & leuiores & iucun-
diores exiſtant. Quanquam uerum
etiam eſt,etiamſi perfectiſſimis ſimi-
lis eſſe, aut anteponi non poſſis: ta-
men

men honestum & præclarum esse, in multis rebus cum illis contendere: quædam etiam meliora facere, cum possumus: & illorum uel inuentis, uel exemplis, quos imitamur, aut addere aliquid, aut detrahere, aut commutare: & aliquid conari atque moliri, quod sit præstantius. Id enim omnibus fuit ætatibus, & omnibus semper concessum mortalibus. Libera enim, nõ seruilis debet esse imitatio. Et imitatorem non semper sequi alterius uestigia uolumus: sed quàm sæpissime, & quoties poterit, si poterit decenter, præeuntem anteuertere. Antequã ergo modica nõ est aliqua quispiam tinctus doctrina: neque dicendi rhetorum artem cognouit, neque dialecticum aliquem magistrũ audiuit: nõ admittam sanè adolescentem ad hunc ludum: eúmque grammaticis relinquo, quorum adhuc dictata, & præscriptas materias,

rias, tanquam alienas lineas seque-
tur. Sed postquam hæc est adeptus
aliquis: si ingenium habet, & si amor
in eo est, & studium eloquentiæ, ut
est in uobis; aperiatur ei hic ludus: &
quantum hæc ratio atq; consuetudo
possit, experiamur. Et principio qui-
dem huius studij, quem optimum es-
se credemus in quaq; lingua, eũ sum-
ma cũ diligentia legemus; in eoq; cõ
siderabimus, quid dicat; tũ, quo id or
dine, quo genere dicẽdi, qua tracta-
tione. In qbus primũ inuẽtionis est:
ordo uero, collocationis: genus dicẽ
di, formæ. Tractatio autem est, quæ
ipsam maxime formam constituit: et
ornamenta orationis complectitur:
& sententiarũ atq; argumentorum
expolitiones; & membrorum, & cir-
cumductionum structuram, conne-
xiones, numeros: earumq; omnium
inter se rerum uarietatem: quæ in ar-
te tradita, hic obseruantur, & quasi
delineantur, et depinguntur; in uolu
men,

men,de quo dictum eſt, recondun-
tur:ut quoties opus erit, in promptu
ſint , & uidere poſſimus,quibus in
unaquaq; re ſuſcepta ueſtigijs ſit in-
ſiſtendum. Ergo hoc primum eſt hu
2 ius diligentiæ tempus: obſeruare in
exemplo,& annotare , quæ ars præ-
docuit. Neq; expectare debemus,
donec omnia cognoſcamus, & uolu
3 men repleatur : ſed de principio,ſi-
mulatq; eſt aliquid animaduerſum,
ſtylum ſumere, & ſimile aliquid fa-
4 bricare, quo in loco de materia & ar
gumento pręcipit:ut à facillimis inci
piamus, & induſtriã non oneremus
obſcuritate,ſed facilitate releuemus.
Quocirca in epiſtolis breuiores ad
imitandum eligendę principio ſunt:
& in orationibus,ut etiam in longio
ribus epiſtolis,& in ſermonibus phi
loſophicis,pars aliqua breuis : ut eſt
concluſio argumẽti,ſimilitudo,com
paratio,narratiuncula, locus & ſen-
tentia communis , contrarium. Sed

hæc non tam materię sunt, quàm modi: de quo iam dicemus. illud uero huius loci: ut unũquodq; in suo genere. ut enim historicus historicum: et Satyricus Horatium aut Persium: & tragicus Euripidẽ aut Sophoclẽ: sic etiam hic, quoniam plurimũ inter se differunt, oratio forensis, & philosophicus sermo, et collocutio familiaris: quale unumquodq; in suo est genere: tale etiam exemplum est constituendum. Sed difficile est, iudicare cuiusmodi aliquid sit, & esse debeat. ergo deinceps breui, ut institui, de ratione imitandi, dicatur. In quo primum considerandum est: quid imitabile nobis sit, & quid sit in imitando negatũ. Imitabile uoco, quod imitando cõsequi & exprimere possumus: μιμητὸν à Græcis appellatũ. ex quo ἀμίμητον quid sit, intelligitur. Quæ uero imitabilia non sunt: illa instituere atq; suscipere extremę stultitiæ est. sed eorum duo sunt genera:

unum

unum natura imitabile non eſt; alterum temporibus. Quintilianus imitabilia eſſe negat, ingenium, inuentionem, uim, facilitatem. uerum eſt, quod ſcribit. Naſcuntur enim iſta nobiſcum: & ſunt naturæ aliorum, non noſtræ: & arte neque dari, necꝫ doceri poſſunt: tametſi appareant in exemplo. Hæc igitur naturaliter ad imitationem non pertinent: etiamſi in imitando eluceant, & ex hac exercitatione noſtræ etiã naturales facultates excitentur, erudiantur, confirmentur. Sed hoc genus, quod natura imitabile non eſt, nihil ad hanc rationem. Sunt enim alieni, non noſtri ingenij: uerũ ſunt etiã quędam aliorum opera ita fabrefacta, ut ſint ſupra noſtras uires poſita: cuiuſmodi Horatio Pindarus uiſus eſt.

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari,
Iuli, certatus ope Dædalea
Nititur pennis, uitreo daturus
Nomina ponto.

Causam etiam indicat:

Monte decurrens uelut amnis, imbres
Quem super notas aluêre ripas,
Feruet, immensusq; ruit profundo
Pindarus ore.

Eam Pindari grauitatem, & amplitudinem, &, si ita loqui licet, granditatem, ἀμίμητον esse existimat Horatius. Ac cum sint quædam opera magnorum artificum, quæ principio quidem attingenda non sunt, quòd assequi non possumus: tempore tamen fiunt faciliora. Non datum est enim incipiēti, orationem integram conficere, aut opus aliquod integrū: neq; si datum esset, consulerem. Tempus enim & facultatem suppeditabit: & dabit facilitatem. Quocirca in partibus facilioribus operum, & in minoribus membris primus labor consumatur: & paulatim ad maiora, atq; difficiliora, uniuersumq; opus fiat progressio: & ne quidem in perfectissimis demum admittenda despera=

Consulo proscinde... u... fo. 30. a.

ſperatio eſt. Aut enim exequemur, quod uolumus: aut multa inde præclara deportabimus, ad ea conficienda, quæ noſtræ induſtriæ à natura conceſſa ſunt: ut etiam Horatius feciſſe ſe ſcribit:

Ego, inquit, apis Matinæ
More modoq́;
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus, uuidiq́;
Tyburis ripas, operoſa paruus
Carmina pango.

Sed laudabilis hæc in Horatio modeſtia eſt, quòd Pindaro primas tribuit: & Antonium Iulium ad maius plectrum hortatur. Neq; enim quicquam imitatori magis, quàm arrogantia uitanda eſt: quæ ſemper leuitatis atq; ſtultitiæ eſt comes. Neq; tamen Horatius deſperauit. nam eſt in multis par Pindaro: & ſæpe cum Pindaro pudenter, atq; etiam cum laude contendit. ſed quia inſcœlix imitatio ridicula eſt; de ſe fatetur mode-

ſtè;alios monet prudenter: ne quid, quod uires ſuperet, conentur ſuſcipere: ſi id uelint in lucem prodire: & de eo doctorum uirorum fieri iudicium. at domi omnia tentanda atque conanda ſunt: in iiſdem etiam immorandum, quoad proficimus. Veruntamen principium huius ſtudij in leuioribus, ſed tamen neceſſarijs ſumi debet. neceſſarium uoco, cuius non rarò, ſed ubique eſt uſus. Cuius generis ſunt ea, quæ antea nominaui: in quibus uidere oportet, quid imitatione ſit dignum. Quicquid uero dignum eſt laude: id uel apparet, uel eſt reconditum. Quorum alterum genus Mathematicos ſecuti Græco uocabulo φαινόμενον nuncupemus: alterum κεκρυμμένον. apparentia nomino: ut ſunt uerba, & eorum ornatus, & complexiones: ut inuentarum rerum collocatio, & ſtructura. Recondita ſunt, amabilium in oratore morum ſigni-

ſignificationes : non expreſſa uerbis conſilia : argumenta & ſententiæ omiſſæ, quæ poni poterant: ornamenta etiam omiſſa, quæ poterant applicari. Quæ tanti momenti ſunt, ut ea qui in intuendo prætereat, nihil ſit præclari moliturus. Vt enim uirtutis eſt, non ſolum ſuſcipere quæ ſunt bona & laudabilia: ſed etiam quæ mala ſunt, uitare: & ut ipſa aliquando non uidetur, ſed intelligitur : ita etiam imitatoris officium non modo poſitarum & illuſtrium : uerumetiam præteritarum & occultarum rerum conſideratione perficitur. Oculis ergo imitator eruditis opus habet: primum, quia recondita non uidentur, niſi eruantur : deinde, quia illa ipſa, quæ apparere diximus, ita in ſcriptoribus ſæpiſſime contexta ſunt : ut non niſi à perſpicace magiſtro & artifice ſentiantur. Atque idcirco

hæc ars principio magiſtri opem de ſiderat, cum is poteſt cõtingere: qui argumenta det, qui imitanda indi= cet, qui doceat, qui emendet: qui o= ſtendat, quomodo ſimilia ſint diſſi= militudine occultanda. occultator e= nim artis ſuæ eſſe debet, qui uelit eſſe bonus imitator. Iiſdem per omnia u= ti in exemplo puerile eſt. Nam tamet ſi eſt artificioſum ſequi Appellis Ve nerem Anadyomenen, aut Satyrum Protogenis: & iiſdem uti coloribus, lineamentis, umbris, nihilq; facere diſſimile: tamen excellentius eſt, quã artem Appelles in Aeſculapii aut Priami imagine demonſtrauit: ean= dem te in Apollinis aut Achillis re= præſentare: & tamen totum id Ap= pellis documẽto eſſe aſſecutum. Pri= mus igitur conatus ſit, ut ſimilitudo non appareat: alter, ſi appareat, ut id uideatur factũ de induſtria: id quod etiam eſt eruditorum. Sed tum id fa= ciendum eſt: cum laudabilis eſt con=

tentio:

tentio: & non dissimilis elegantia, in rebus non ijsdem, sed diuersis: & nõ tam genere, quàm tractatione simili bus. Multæ sunt Demosthenis orationes, multæ Ciceronis; sed tamen in his ipsis Ciceronis orationibus, immò etiam in Philippicis, quę titulum habent quasi præclamatorem exempli, dissimilitudo ijsdem dicendi formis captata est, et abscondita similitudo: cũ tamen Demosthenem sit secutus. Aeneas apud Vergilium, quæ loquitur, & quæ agit: quid differunt ab ijs, quæ Homericus Vlysses dixit, & fecit? quid tam simile, quàm utriusque sæpe poëtæ dicendi genus? & tamẽ in summa similitudine quanta differẽtia? quanta uarietas? ut propè non tam Vlysses Homeri dicatur, quàm Aeneas Vergilij. Sed tamen aliquãdo placet extare, et sentiri imitationem: neque improbo Bembi principium: Bembus Teupole pater meus: quod ad exemplum eius factum

est,

est, quo Cicero in Bruto suo utitur. nam ut ille de Hortensij morte, opinione omnium maiorem animo cœpit dolorem: sic Bembus pater postquam Venetias de Vrbini Ducis morte esset Senatui allatum, magnum sanè dolorem cœpit: ijs enim uerbis utitur: causas etiam doloris, ut Cicero, ita Bembus complectitur. & ut Ciceroni dolor oratione augebatur: sic etiam Bembo augetur. Siue Bembus uoluit aliquo consilio agnosci similitudinem: siue putabat non uideri. ego certè pro patris eiusq; dolore, legens ista lætitiam percepi: & de hac ratione, tum illa considerans memini cogitasse. Veruntamen obtegenda imitatori omnis est similitudo: quæ tum demum laudatur: cum par gloria scriptorē sequitur: q̃modo uero & quibus in locis atq; exēplis cōparata sit non potest deprehendi. Occultandi uero modus in tribus consistit: addi

tione

tione, ablatione, mutatione: in qua sunt coniunctio, figuratio, cõmutatio, trãsformatio: tum uerborũ, tum sententiarũ, tum membrorũ atq; circumductionũ: in quibus quid sit additio et ablatio p se satis intelligunt, Græci πρόσθεσιν & ἀφαίρεσιν uocant: et uerbũ sępe, et incisum et membrũ, & in his cõtenta sententia uel ablata uel addita aliam orationis formã & ueluti effigiẽ facit: opinione omniũ, inqt Cicero, maiorẽ animo cœpi dolorẽ. at Bembus magnũ sanè dolorẽ cœpit. sed tum hęc duo raro absq; cęteris usurpant: sine qbus puerilis est imitatio. Mutationẽ ἀλλοίωσιν uoco, cuius pars una est συζυγία, siue σύνθεσις, quæ consistit in diuersa uerborũ & rerũ collocatione, & perficitur uel prępositione uel postpositione et interpositione uerborũ, membrorũ, rerũ, cæterarũq; rerũ quæ sunt necessariæ. Figuratio σχηματισμὸς est Græcorũ qui est generũ potissimũ & numerorum,

merorum, & casuum: nam horum uarietas uoluptatem adfert, & obducit uarietatem. sed ut in componendo, ita etiam in obtegendo & mutando, facere oportet quod decet, & q̃d est conuenienter ornatum. Commutatio κατάλλαξις appellata, est uerborum & rerum uicaria operatio: quæ in uerbis συνωνυμία dicitur: in rebus diuersa argumentatio, hoc est, sententiæ & orationes eodem pertinentes. ut sunt in rebus effectis συναίτια, & in conclusionibus multorum argumentorum συλλογισμοί. Transformationem nomino, quam Græci μετασκευὴν, quæ omnem orationis complectitur exornationem: nam & uerborum translationes atq; modi, & sententiarum ornamenta sæpe idem possunt, ideoq; licet mutare: neque quicquã est in quo magis glorietur imitator, quàm in rebus & uerbis, eorumq; complexionibus transferẽdis: in quibus non solum diuersitas,

uerum

uerum etiam uarietas expetitur; ideóque transfiguratio adiunctam habet μεταβολὴν, quæ satietatem tollit, & omnis delectationis princeps esse solet effectrix. Inter μεταβολὴν autem et μετασκευὴν hoc est discriminis: quod hæc diuersum faciat opus, illa uariũ. neq; quicquam est auribus magis gratum, quàm eædem res sæpe aliis uerbis notatæ, & ornatus ubiq; diuersus & circumductionum uarietas, & numerus in earum clausulis ubiq; per interualla alius. Atque hæc sunt quæ artem atq; similitudinem occultant: quæ tametsi leuia uideantur, sunt tamẽ sola, quæ efficiũt quod eruditorum hominum aures requirunt. neq; uis eorum intelligitur nisi consuetudine & usu comperiatur. Verum illud tenere semper oportet, nullam occultationem laudabilem esse, quę non uel par aliquid, uel melius, substituat: aut si deterius esse uideatur, tamen non fiat absq; consilio

& ra-

& ratione. Vergilij illam circumscriptionem, Arma uirumque cano: quis nõ uidet ad Homeri similitudinem esse factam. uerum id tamen est discriminis, quod Homerus Achillem nomine suo nominat, & eius iram, quid ea mali Græcis dederit, paucis petit à Musa commemorari. Vergilius Aeneam suum non nominat, sed pluribus uerbis quod instituit, exequitur: ita ut si superiorẽ esse Vergilium nolimus concedere: tamen fateri necesse sit, speciosum esse exordium, & Homerico par, si id per Græcos liceat obtinere. Sed tamen aliquando honestum est cedere: cum id postulat res proposita. nam ut in eodem exemplo maneam, quo antea sum usus: quis negat plenius esse, & numerosius: opinione omnium maiorem animo cœpi dolorem: sed tamen modestum etiam alterum, & idoneum ad rem præsentem; magnum sanè dolorem Ab exẽplo Vergilij.

lorem

lorem cœpit. Verum enim, ut ad rem redeam; ſemper aut melius aut ſimile, aut ratione humilius ponendum eſt; et cogitandum illa tria tum demum recte fieri: cum non ſolum ueſtigia obtegunt, ſed etiam adiungunt ornatum. Quicquid enim artificioſum eſt: hoc etiam elegans & concinnum eſſe debet. & illa quorum memini tria, maiorem quàm imperiti credant uim atque ornatum conciliant. in minimis enim ferè eſt figuratio: at in illa Vergiliana comparatione nonne eſt ſuauiſſima?

Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine fagi,
Syluestrem tenui muſam meditaris auena:
Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua:
Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra
Formoſam reſonare doces Amaryllida ſyluas.

quid minutius, quàm tu Tityre, &, nos fugimus. at iſta numerorum mutatio quantum habet ue-

nustatis: eoq; etiã Tityrus ut solent bucolici eandem concinnitatem imitatur, sed citra arrogantiam (ut apud pastorem amicum) et inuidiosam æmulationem:

O Melibœe Deus nobis hæc otia fecit,
Namq; erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Consimiliter numerum mutauit. nobis fecit, inquit, mihi semper erit: & à nostris ouilibus imbuet. Vt igitur cum absq; exemplo scribimus elegans est hoc genus: sic cum propositum habemus quod sequamur, & elegans est, & occultans, quod captatum à nobis, nolumus agnosci. Nõ opus est omnia persequi quæ proposuimus: partim enim ex me audiuistis, partim etiã per se intelliguntur, et nõ sunt huius temporis: sed tamẽ etiam transformationis exemplum ponam. Est elegans sententiarum conuersio, quam Græci ἀντιμεταβολὴν uocant, apud Theocritum.

αἰκα

Αἶκα τῆνος ἕλῃ κεραὸν τράγον αἶγα τυ
λαψῆ,
Αἶκα δ᾽ αἶγα λάβῃ τῆνος γέρας ἐσ, τὺ κα-
ταῤῥεῖ,
Ἀ χίμαρος, χιμάρῳ δὲ καλὸν κρῆς ἔστε κ᾽ ἀ-
μέλξῃς.

Pro hac conuerſione Vergilius circulo de quo diximus uſus eſt: et pro illis uerbis quę à Theocrito repetuntur Vergilius alia repetit? & quis negare poteſt hæc fieri exemplo? at ergo dicat aliquis non eodem eſt uſus ornatu, neq; iiſdẽ uerbis? quia agnoſci noluit ueſtigia ab imperitis: at cur Nõ equidem inuideo: cum etiã Theocritus κοὔτοι τοι φθονέω: quia ſciri uoluit quem imitetur, ut uero imitetur non uoluit animaduerti. Sed negat fortaſſe aliquis eſſe imitationem: cum non ſint eadem in utroq;: cui reſpondeo imitationem nõ eiuſdem eſſe, ſed eſſe ſimiliũ, & id quod ſimile eſt diuerſum eſſe debere: cognatum tamen: atq; eam cognatio-

nem ex ipso fine & orationis forma debere iudicari. ut in his uersibus carminis bucolici finis est suauitas, eaque de causa Thyrsis apud Theocritum Aepoli pastoris carmen laudans ἁδύ τὸ ψιθύρισμα inquit: et mox ἁδὺ δὲ καὶ τὺ συρίσδες: itaque delectationis & suauitatis gratia, ut Theocritus illud suum ἁδὺ repetit & conuersione de qua diximus utitur: sic & Vergilius, Nos patriae fines, & nos patriam fugimus: & conuersionis loco quasi circulo & orbe sententiam est complexus. Notum principium Homeri est μῆνιν ἄειδε θεά: & plane Homericum est, graue, ornatum, & proposito operi conueniens. Sed neque minores neque pauciores habet uirtutes Vergilianum, Arma uirumque cano: Heroicum etiam omnino, & in magna dissimilitudine, artificiosa similitudo est: quae est in grauitate atque ornatu: qui absconditus est illis de quibus dictum est rationibus.

Nam

Nam ut Homerus iram Achillis: sic Vergilius Aeneam pluribus uerbis, & proprijs notis indicat: ut in perso nis uarietas sit, & similitudo in tra= ctatione: quæ ad finem debet accom modari qui est grauitatis. itaq; mul= ta, eaq; magna, breuiter est comple= xus. Sed et illam Homeri literarũ & uocum suauitatem, & poëticorum uerborum sonum, quæ propria sunt Græcæ linguæ: Vergilius pulcherri ma figuratione compensat; arma ui= rumq;: Italiam, Lauinaq; littora: ter= ris iactatus & alto: utriq; numeri ter sunt connexi. & in illo uersu, Vi su= perum seuæ memorem Iunonis ob iram: & numeri coniuncti & muta= ta casuum consecutio: & in illo, ge= nus unde Latinũ, Albaniq; patres, atq; altæ mœnia Troiæ: quanta est distinctio generum, numerorũ, uo= cũ: postremo illud, Musa mihi cau= sas memora: & collocatione differt ab Homerica inuocatione; & magni

tudine par principio Homeri: præter illa inſignia: non ſolum interrogat: ſed dolet etiam: & admiratur atque acclamat. Quamobrem imitatio ſimilitudinis abſcondita eſt, collocando, mutando, addendo, uariando: nam & propoſitionem ab inuocatione ſemouit: & perſonas atq; res cõmutauit: plura enumerauit quod eſt additionis: & uarietate uerborũ, generum, caſuum, numerorum, omnia ſunt ſonantia: idq; ad grauitatem aptè: ut nec elegantia grauitati obſtet: nec elegantiã grauitas impediat. Ergo in rebus diſſimilibus, debet ſimilitudo celari: et id fieri ea quã oſtendi uia. Poſtquam igitur delegimus quem imitari uelimus, & quid exprimere: prima conſideratio generis dicendi eſſe debet, ad eiusq; finẽ & formam: & res & uerba, eorumq; & collocatio & uarietas eſt referenda. Sed magiſtro opus eſt, & abſq; arte non deprehenditur furtiua imi

cantis

tantis imago: & magnæ consuetudinis est exercitatio: & paucorum est hominum. Nobilis historicus Salustius est, & Quintiliani de breuitate eius testimonium est notũ: sed quotusquisq; est qui intelligit quomodo ea sit comparata? Halicarnasseus in Thucydide scribit pulchrũ esse uerborũ contextum, sed non suauẽ: contrà in Xenophonte suauem non pulchrum: in Herodoto utrunq;, cuius compositionem, ait esse, ἡδεῖαν τε καλὴν: acuti iudicij atq; exercitati, tanquam perspicacis oculi est, uidere in quibus uenustas sit, & in quibus delectatio: & quomodo pulchritudo à suauitate discrepet: non quod res nõ sit inter se multum dissidẽtes uirtus atq; uoluptas: sed quia in oratione elegantia & suauitas non facile separantur, idcirco & ars necessaria est, & magistro est opus, & exercitatio requiritur: De Vergilij Georgicis libris dicitur quod sint perfecti: de-

Aeneide quod non elimata: ſed ego uelim mihi dari aliquem poetarum explicatorem, qui id ubicunque opus eſt poſſit indicare & oſtendere: uerum de hoc aliàs. nunc ad illud quod propoſitum eſt de dicendi forma: cuius imago nobis dum operamur & fabricamus, ante oculos ponenda eſt: & ad eam ſtilum tanquam manum, & uerba eorúmque ornatum tanquam colores & umbras, & lumina conuenienter applicanda. Conuenientiam decorum appello, cum omni in re tum in imitando in primis neceſſarium: in quo duo præcipue ſunt tenenda: aptitudo, & modus. aptitudo eſt rerũ & uerborum congruẽs natura: modus eſt in cõgruentibus, ut ne quid deſit, & ne quid deficiat. ut in Homeri Iliadis principio nihil deeſt, in Vergilij Aeneidis exordio nihil abundat, tametſi ſit Homerico circumductius. Aptitudo con-

do consideratur motibus, moribus, natura. in quibus naturam appello earum rerum quæ homines non attingunt: ut herbarũ: arborum: gemmarũ, hortorum, prædiorum, uillarum: quarum rerum explicationes atq; descriptiones certũ propriumq; genus orationis attributum habent: mores & motus poëtarum sunt & oratorum cum personarum & suos mores exprimunt: cum ad iram, ad odium: ad amorem, ad misericordiam animos uel audientium uel legentium impellunt: ex quibus tribus illa tria ab Aristotele libro tertio Rhetoricorum elocutionis genera: ἡ παθητικὴ λέξις καὶ ἡ ἠθικὴ καὶ ἡ ἀνάλογος τοῖς πράγμασι. Hæc uero cuiusmodi esse debeant & sint idem Aristoteles, optimus artis præceptor indicauit. In hoc etiam de decoro loco præcipitur, ut non solum formæ imaginem tanquam cutem tantummodo

effingamus:uerum ut ſanguis & ue
næ & nerui atq; muſculorum lacerti
extent & cōſpiciantur:quamobrem
elaborandum eſt ut & ſpecioſa ſit et
prudēs oratio,et ſana:in quibus ſpe-
cies elegantiæ eſt:prudentia, rerum,
ſanitas decori & naturæ: ut forma
ipſa ſit naturalis,& conueniens. Ne-
que enim dubium eſt,quin exoriens
è mari Apellis Venus:nonnihil fue-
rit è mari ſpumea: ſed ita,ut ea ſpu-
ma Deę formam redderet amabilio
rem. Vt igitur Appelles nonnihil
ſqualoris reliquit: ita etiam ſcriptori
atq; imitatori faciendum eſt:ut con-
ſideret non quantum aliquid ornari
poſſit,& quantum deceat: quod ni-
ſi fiat:neceſſe eſt & tumidam & in-
flatam & ineptam orationem exiſte-
re. Itaq; recte conſulunt qui dicunt
Homericam eſſe imitandam Miner
uam, quæ Vlyſſem in uarias mutat
ſæpe formas,eumq; aliquando et ru
goſum & paruū & deformem facit.

πτωχῷ

πτωχῷ λευγαλέῳ ἐναλίγκιον, ἠδὲ γέροντι.
aliquando etiam admota eadem uirga.

μείζονά τ' εἰσιδέειν καὶ πάσσονα θῆκεν ἰδέσθαι.

Et κὰδ δὲ κάρητος
οὔλας ἧκε κόμας ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας.
Id etiam in oratore faciendum est: ut non semper bombycina & preciosa ueste: sed sæpe etiam trita et uulgari & quotidiana prodeat. Post decori animaduersionem: comportandę & collocandę res sunt: & uerborum adferenda copia: & sequi oportet quę diximus. ut nihil absq; causa neque fiat neq; ponatur: & id quomodo fiat nõ intelligatur à multis: nam ut optandum est ut oratio omnibus placeat: & id maximopere captandum: ita etiam cauendum præcipue est, ut ars & imitatio & similitudo non appareat. Atq; hæc hactenus de stilo & de imitatione: in quibus non placuit omnia persequi: ut

Transitio.

quomodo

quomodo ex Græcis latina facienda ſint: & quibus rationibus poetarum uerſus ita oratione libera diſſolui et explicari debeant, ut poëma nõ fuiſſe uideatur: item quomodo commentatio inſtituenda ſit & quomodo inchoanda & perficienda declamatio: quæ omnia tum demum recte ſuſcipiuntur: cum horum de quibus dixi, magna præceſſit exercitatio. Ergo de his aliàs: nunc hæc ſufficiant pro hoc tempore ueſtris ſtudijs: præſertim cum me præſentem adhuc habeatis: Rurſus igitur uelut ab initio ingredi iam oportet in hoc curriculũ: et accedendũ ad multam lectionem & ad ſcriptionem multã. Lectio uero duplex eſt una exempli ad imitandum: altera doctrinæ: quarum altera moram requirit: ut quæ in exẽplo latent eruantur: altera percurſionem et annotationẽ & memoriam multarũ & uariarũ rerum deſiderat, itaq; ita perficienda eſt quemadmo-

admo-

admodum principio diximus. Et Ciceronem quidem hoc triennio totũ ad intelligendũ legi posse horis ante meridianis nullum est dubium: ad imitandum etiã plurima disci in eodem posse etiam clarum est: quæ supererũt dabimus annis in sequentibus. Iam in cæteris autoribus, quis neget plura posse comparari: ex ijs quos nominaui: oratoribus, historicis, philosophis, poëtis. ut hoc triennium & orationem ornatam dare possit: & uariarum rerum prudentiam. quorum utrunq; si consequemini exemplo esse possitis, uestri ordinis hominibus. & sanè post militarem uirtutem, quæ eius est scientiæ & fortitudinis, quid magis uirum nobilem decet, & congruentius est generis uetustati: quam probati mores, pectus eruditũ, lingua sapiens, omnis antiquitatis memoria, omniũ rerumpublicarum cognitio. In Cardinalium numero nonne quasi lu-

mina fuerũt, Contarenus, Bembus, Sadoletus? in Cæſaris aula quantũ ornamentum Atrebatenſis Epiſcopus? Gallias nonne Cardinalis Bellaius: nunc etiam Guiſius: & Matiſconenſis Epiſcopus illuſtrant? Iulius Pflug patronus & hoſpes meus nonne decus Saxoniæ eſt? Iacobo Sturmio Chriſtophoro Carolouicio an non plurimum ad nominis celebrationem proſunt literæ. at omnes hi magni & nobiles: ſed tamẽ hæc ipſa nobilitas quæ per ſe ſatis clara eſt, in his uiris literarum doctrina eſt reddita illuſtrior. Si Germania noſtra, & ſi principum uirorum familiæ: huiuſmodi curarentur hominibus: nulla eſſet metuenda rerũ periculoſa conuerſio, nullæ barbarę conſuetudines: nulla eccleſiarum & religionis deformitas: Quocirca hæc ego uobis ſcribens: uniuerſam nobilitatem, ad hæc ſtudia adhortor: quę ſi quem hominum ordinem

maxime decent: certe nobilitatem in primis:quæ quo magis cęteris ordinibus gloria præſtat: eo pluribus & maioribus uirtutibus debet antecellere.

ARGENTORATI APVD VVENdelinum Rihelium, ANNO. M. D. XLIX.